EXTERMINIUM ACEDIÆ FRUCTUS EXHORTATIONIS DOMINI NOSTRI...

Franz Neumayr, L. Richeri, I.T. Bridault


Digitized by Google

L. L. Richeri



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

EXTERMINIUM
ACEDIÆ
'RUCTUS EXHORTATIONIS
DOMINI NOSTRI
ESU CHRISTI

LUC. XIII.

ntendite intrare per angustam portam!

RIDUO EXPENSÆ

ET

EXPLICATÆ

A

RANCISCO NEUMAYR S. J.



EDITIO TERTIA.





CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

---


ibus Franc. Xav. Crätz & Thomæ Sumer
iugustæ, Monachii, & Ingolstadii 1763.

Digitized by Google

9.m

X

Digitized by Google



PRÆFATIO.

UT Sacra Exercitia semper gratiam novitatis habeant, sine qua alacritas animi, & applicatio languere solent, eo quod ab assuetis non fiat passio: omnino prudenter suaderi existimo, ut illi quidem, qui *prima vice* per aliquot dies ex S. Ignatii legibus se exercent, pro fine suæ devotionis


universalem totius hominis *Reformationem* constituant: qui vero in eandem solitudinem sæpius redeunt *Renovationi* Spiritus vacaturi: scopum industriæ *particularem* e. g. unius vitii extirpationem, aut certæ virtutis acquisitionem sibi præfigant, nisi a tempore ultimæ Recollectionis prorsus in antiquam silvam rediissent. Consilii ratio facile occurret cogitanti, quare nemo velit, ut Confessio *generalis* semel rite facta sæpius repetatur: laudent autem omnes, si substituatur *semestris*, aut *annua*. Nimirum hortus semel purgatus raro *post annum* in antiqua Zizania *totus* silvescit. Sufficiet igitur per inter-

ter-

Digitized by Google

tervalla ſedulam manum admovere areolæ, in qua oculus vigil revireſcere lolium obſervavit: eritque ſemper incolumis. Ex hac ratione poſtquam *Triduum Sacrum* Reformationi *univerſali* totius hominis *Nobilis* ac *Literati* ſerviens jam olim edidi: hodie animabus ſuæ ſalutis ſtudioſis aliud offero*, in quo *ad unius Acediæ* exterminium totæ incumbant. Utere, Lector, memor illius, quod pius Aſceta veriſſime dixit: *Cito Sancti efficeremur, ſi omni anno* UNUM VITIUM *eradicaremus.* Thomas de Kempis in lib. de imit. Chriſti l. 1. c. ult. EXTERMINIUM ACEDIÆ igitur Scopus Libelli eſt. In Meditationibus


exhibeo fugæ *Incitamenta*, in Considerationibus *Adjumenta*, in dissertationibus *Impedimenta*, in Reflexionibus *Praxes*, in Missis *Preces pro gratia*, sine qua nulla sufficit industria. Schema habe.



SCHE-

Digitized by Google





SCHEMA

ET

SYNOPSIS LIBELLI.

THEMA.

Contendite intrare per angustam portam! Luc. XIII.

C*Ontentionis* nomine Christus intelligit *diligentiam* in salutis negotio. Huic diligentiæ propria sunt *tria adverbia*, & scilicet obligatio serviendi Deo *cito*, serviendi *serio*, serviendi *constanter*. His adverbiis inimica est *Acedia*, sive *Languor animi*, per quem fit, ut serviamus Deo vel *tarde*, vel *frigide*, vel *inconstanter*. Igitur fructus Exhortationis D. N. J. C. & Scopus hujus tridui est *Exterminium Acediæ*. *Media* sunt *tres affectus*, Dolor, Amor, Timor. Nam salus animæ

 pen-

Digitized by Google

pendet a bona morte : bona mors a bona vita : bona vita a bona constitutione trium temporum, ex quibus vita componitur : & bona constitutio horum temporum ab his affectibus. *Dolor* enim emendat vitam *præteritam*, urgetque, ut velimus Deo servire *cito* : *Amor* ordinat tempus *præsens*, animatque, ut velimus Deo servire *serio* : *Timor* tempori *futuro* providet, efficitque, ut velimus Deo servire *constanter*. Hæc est Oeconomia totius Opusculi. Sequitur Conspectus partium, quarum prima est *pridie Exercitiorum* legenda

Dissertatio prævia.

De Contentione pro Cœlo.

Ostenditur 1. Contentionis *æquitas*, quam demonstrat futuræ Beatitudinis *Existentia* omni certitudine certà : & *Essentia* omnium bonorum aggregatione perfecta. Fol. 4.

2. Contentionis *necessitas*, quippe sine qua neque *Innocentia* diu servatur : neque

Pæni-

Digitized by Google



Dies I.

Dies Doloris.

Scopus Diei: Emendatio vitæ præteritæ.

Reſolutio: Volo Deo ſervire *cito*, quocunque labore conſtet.

Reſolutionis hujus Mater eſt *Dolor* de vita male acta. Doloris *fons* Meditatio 1ma. de gravitate peccati in genere: & 2da. de Malo Acediæ in ſpecie. Doloris *Exercitium* Confeſſio generalis coram Deo. Doloris *Signum* Rigor Pœnitentiæ. *Impedimentum* Amor vitæ mollis.

MEDITATIO I.

De gravitate peccati.

Punctum 1. *Actus peccati* eſt Deo ſumme contumelioſus ſive in ſua *ſubſtantia*, ſive

Digitized by Google

EXTERMINIUM
ACEDIÆ
FRUCTUS EXHORTATIONIS DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI

LUC. XIII.

Contendite intrare per angustam portam!

TRIDUO EXPENSÆ
ET
EXPLICATÆ
A

P. FRANCISCO NEUMAYR S. J.

EDITIO TERTIA.







CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

Sumptibus Franc. Xav. Crätz & Thomæ Summer
Augustæ, Monachii, & Ingolstadii 1763.

Digitized by Google

q.m

X

Digitized by Google



PRÆFATIO.

CUT Sacra Exercitia ſemper gratiam novitatis habeant, ſine qua alacritas animi, & applicatio languere ſolent, eo quod ab aſſuetis non fiat paſſio: omnino prudenter ſuaderi exiſtimo, ut illi quidem, qui *prima vice* per aliquot dies ex S. Ignatii legibus ſe exercent, pro fine ſuæ devotionis

Digitized by Google

universalem totius hominis *Reformationem* constituant: qui vero in eandem solitudinem sæpius redeunt *Renovationi* Spiritus vacaturi: scopum industriæ *particularem* e. g. unius vitii extirpationem, aut certæ virtutis acquisitionem sibi præfigant, nisi a tempore ultimæ Recollectionis prorsus in antiquam silvam rediissent. Consilii ratio facile occurret cogitanti, quare nemo velit, ut Confessio *generalis* semel rite facta sæpius repetatur: laudent autem omnes, si substituatur *semestris*, aut *annua*. Nimirum hortus semel purgatus raro *post annum* in antiqua Zizania *totus* silvescit. Sufficiet igitur per inter-

Digitized by Google

tervalla ſedulam manum admovere areolæ, in qua oculus vigil revireſcere lolium obſervavit: eritque ſemper incolumis. Ex hac ratione poſtquam *Triduum Sacrum* Reformationi *univerſali* totius hominis *Nobilis* ac *Literati* ſerviens jam olim edidi: hodie animabus ſuæ ſalutis ſtudioſis aliud offero, in quo *ad unius Acediæ* exterminium totæ incumbant. Utere, Lector, memor illius, quod pius Aſceta veriſſime dixit: *Cito Sancti efficeremur, ſi omni anno* UNUM VITIUM *eradicaremus.* Thomas de Kempis in lib. de imit. Chriſti l. 1. c. ult. EXTERMINIUM ACEDIÆ igitur Scopus Libelli eſt. In Meditationibus

exhibeo fugæ *Incitamenta*, in Considerationibus *Adjumenta*, in dissertationibus *Impedimenta*, in Reflexionibus *Praxes*, in Missis *Preces pro gratia*, sine qua nulla sufficit industria. Schema habe.



SCHE-

Digitized by Google



SCHEMA

ET

SYNOPSIS LIBELLI.

THEMA.

Contendite intrare per anguſtam portam! Luc. XIII.

C*Ontentionis* nomine Chriſtus intelligit *diligentiam* in ſalutis negotio. Huic diligentiæ propria ſunt *tria adverbia*, & ſcilicet obligatio ſerviendi Deo *cito*, ſerviendi *ſerio*, ſerviendi *conſtanter*. His adverbiis inimica eſt *Acedia*, ſive *Languor animi*, per quem fit, ut ſerviamus Deo vel *tarde*, vel *frigide*, vel *inconſtanter*. Igitur fructus Exhortationis D. N. J. C. & Scopus hujus tridui eſt *Exterminium Acediæ*. *Media* ſunt *tres affectus*, Dolor, Amor, Timor. Nam ſalus animæ



pendet a bona morte : bona mors a bona vita : bona vita a bona constitutione trium temporum, ex quibus vita componitur : & bona constitutio horum temporum ab his affectibus. *Dolor* enim emendat vitam *præteritam*, urgetque, ut velimus Deo servire *cito* : *Amor* ordinat tempus *præsens*, animatque, ut velimus Deo servire *serio* : *Timor* tempori *futuro* providet, efficitque, ut velimus Deo servire *constanter*. Hæc est Oeconomia totius Opusculi. Sequitur Conspectus partium, quarum prima est *pridie Exercitiorum* legenda

Dissertatio prævia.

De Contentione pro Cœlo.

Pæni-



Pœnitentia recte agitur, aut cum fructu, qui duret. 13.

3. Contentionis *Modus*, quem tres affectus, Dolor, Amor, Timor conficiunt. 22.

Dies I.

Dies Doloris.

Scopus Diei: Emendatio vitæ præteritæ.

Resolutio: Volo Deo servire *cito*, quocunque labore constet.

Resolutionis hujus Mater est *Dolor* de vita male acta. Doloris *fons* Meditatio 1ma. de gravitate peccati in genere: & 2da. de Malo Acediæ in specie. Doloris *Exercitium* Confessio generalis coram Deo. Doloris *Signum* Rigor Pœnitentiæ. *Impedimentum* Amor vitæ mollis.

MEDITATIO I.

De gravitate peccati.

Punctum 1. *Actus peccati* est Deo summe contumeliosus sive in sua *substantia*, sive in

in ſuis *circumſtantiis* conſideretur. Incipit lamentatio animæ flentis de vita male acta. 28.

Punctum 2. *Status peccati triſtiſſimus* eſt, ſi in hoc ſtatu te eſſe ſcias: *infeliciſſimus*, ſi neſcias: *horrendus*, ſi contemnas. Convertere anima mea ad Dominum Deum tuum! 40.

Fructus: Intenſus Dolor, &

SUB MISSA

Confeſſio generalis coram Deo.

Multa *mala* feci: parum *boni*: & hoc ipſum *parum bene*. Talis vita nunquid vita? 51.

Conſideratio.

De rigore Pœnitentiæ.

1. Inſpicitur Rigoris *Modus*, tum qui requiritur *ad actum*, tum qui pertinet *ad ſtatum* Pœnitentiæ. 55.

2. Examinatur *Præceptum* Rigoris *ex fide* primum, deinde *ex ratione*.

Diſſer-

Digitized by Google



Dissertatio.

De vita molli.

MEDITAIO II.

De Malo Acediæ.

Dies



Dies II.

Dies Amoris.

Scopus Diei: Ordinatio vitæ præſentis.

Reſolutio: Volo Deo ſervire *ſerio*, quocunque labore conſtet!

Reſolutionis hujus Mater eſt *Amor DEI.* Amoris *fons* Meditatio 1ma. de Motivis amoris, & Modo amandi. Amoris Exercitium Immolatio ſui. Amoris *ſigna* tres alii amores. Amoris *Impedimentum* Amor vitæ diſſolutæ. Amoris *ſtimulus* Meditatio 2da. de damnis Acediæ.

MEDITATIO I.

De Amore Dei.

Punctum 1. *Motiva amoris*: DEUS *amabilis*: amas? . . DEUS *amans*: redamas? 109.

Punctum 2. *Modus amandi*: amare *omni modo*: ſic amas? . . amare *ſine modo*: ſic redamas? 120.

Fructus: Intenſus Amor, &

SUB

Digitized by Google



SUB MISSA

Immolatio sui.

Diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo: ex tota anima mea: ex tota mente mea: & ex omnibus viribus meis! 129.

Consideratio.

De signis amoris.

1. Qui amat Deum, amat *Orationem* amore appretiativo, quantum meretur: amore affectivo, quantum potest. 133.
2. Amat *Laborem* præceptum magis, quam arbitrarium, quin admittat excusationem Acediæ: *non sum dispositus.* 139.
3. Amat *Crucem*, negando carni bonum sensibile, quod male appetit: & inferendo malum sensibile, quod male fugit. 144.

Dissertatio

Contra homines vitæ dissolutæ.

1. Quorum *Actiones* sunt sine Ordine, unde fit, ut male ordinatus sit homo *exterior*, quipps aut nihil, aut malum, aut aliud agens, quam deberet. 148.

2. *Passio-*

Digitized by Google



2. *Passiones* sine fræno, unde fit, ut male ordinatus sit homo *interior*, quippe aut Phantasiæ mancipium, aut a sana Ratione desertus. 153.

MEDITATIO II.

De damnis Acediæ.

Punctum 1. Acedia est vitium *perniciosum* bono communi vitæ *præsentis*, quia facit hominem molestum, & noxium Reipublicæ. 159.

Punctum 2. *Periculosum* bono particulari vitæ *futuræ*, quia longum purgatorium semper sequitur: Infernus sæpe. 170.

Fructus: Executio Resolutionis; Volo Deo servire *serio*, & ordinare vitam *præsentem*.

Dies III.

Dies Timoris.

Scopus Diei: Cura vitæ futuræ.

Resolutio: Volo Deo servire *constanter* quocunque labore constet!

Resolutionis hujus Mater est *timor DEI.* Timoris *fons* Meditatio 1ma. datur *Infernus.*

&

Digitized by Google



Disser-

Digitized by Google



Dissertatio

De Modo Pugnæ.

MEDITATIO II.

De Constantia in bono.

Conclusio Exercitiorum

EX-

Digitized by Google

EXTERMINIUM ACEDIÆ,

FRUCTUS EXHORTATIONIS D. N. J. C. TRIDUO EXPENSÆ.

DISSERTATIO PRÆVIA.

THEMA.

Contendite intrare per angustam portam. *Luc.* 13.

NB. NB. *Prudens singulis Exercitiis adscribo ceremonias a me usurpatas, quales alio nomine S. Ignatius* Additiones *appellat, quippe in quibus ipse magnum ad pios motus etiam* pro Exercitiis privatis *momentum posuit. Itaque pridie sacri tridui hora 5. vespertina Director Oratorium Marianum ad D.D. Sodales jam collectos, & sacræ lectioni intentos ingressus, ascendit pegma, atque ad Imaginem Christi crucifixi consistens salutavit præsentes, dicens:* Laudetur JESUS Christus! *Responderunt:* in æternum! *Quo ille responso ad salubrem horrorem usurus, osculo Cruci impresso, cœpit sic disserere.*

Digitized by Google

ITa, laudetur JESUS Christus! in æternum laudetur! Et quam felix sum, Domine JESU! si inter illos sum, qui in sæcula sæculorum laudabunt te! Jam a gaudio bonæ spei cor exultat, & spiritus jubilat. Congratulamini mihi SS. Angeli! & tu cum omni turba Sanctorum Regina omnium, Virgo Mater congratulare! Vobiscum ero! vobiscum meum & vestrum JESUM æternum laudabo! Hæc spes me recreat: jam nunc triumpho! . . . Verum (o tristis cogitatio!) si fallat spes (& eheu! potest fallere!) si fallat spes, quid fiet mihi? . . . Parcite boni Superi! Malum horrendum, immane, ingens obruet infelicem. . . Si fallat spes: tunc ego cum diabolo, & angelis ejus ero! . . . In loco tormentorum, cum fæce hominum, cum mæchis, cum furibus, cum latronibus, cum fædifragis Hæreticis, cum perfidis Judæis, cum blasphemis Turcis, cum impiis Idololatris, cum animabus maledictis a DEO, in stagno ignis ardentis natabo ejulans, frendens, flens & dentibus stridens, heu! nimium infelix creatura, quæ JESUM æternum amare non poterit: & quam JESUS æternum amare non volet! o calamitas! o lamentum! o væ! o atrox cogitatio! . . . .

Attamen DD. Sodales! tanto malo ne opprimamur, non ego solus, sed vos mecum, vos omnes, & singuli vestrum in periculo sumus. Interrogatus enim JEsus: *Si pauci sunt, qui salvantur?* respondit: *Contendite intrare*

per

Digitized by Google

per angustam portam! Hæc est Adhortatio D. N. J. C. Ah! video ego paucos pro cœlo *contendere*: concludo, *paucos salvari*. Domini! Nisi contendimus esse inter paucos: omnes peribimus. Contendite! . . .

Et quid est contendere? Contentio opponitur Acediæ. ACEDIA, ah infelix acedia in salutis negotio plerosque hominum in interitum trahit. Cum enim cætera vitia neque ætatum omnium sint, neque temporum, neque locorum: ACEDIA, sive *languor animi pro cura cœli* in omni genere hominum ita regnat, ut ex decem millibus vix reperias unum, quem non hæc labes & sæpe, & multum, & periculose infestet. Adeo Adami filiis *segnities* in fugiendo malo, & *fastidium* in faciendo bono ex peccato parentis adhæsit. Gemere cum Psalmista debemus Ps. 34. quilibet nostrum: *Anima mea*: o DEUS, *sicut terra sine aqua tibi* est, exucca sine devotione, pulverulenta ex vanitatibus, sterilis a virtute! Itaque in his rerum nostrarum circumstantiis, & in periculo tam communi (nam & *sola acedia* sæpe damnat, & *sine acedia* aliud vitium nullum diu subsistit) in periculo, inquam, tam communi non est mirum, quod Salvator adeo contentiose hortetur ad contentionem, clamans: *contendite intrare*! . . . Contraria curantur contrariis: & *Contentio* acediæ directe opponitur.

Eja! audiamus hortantem, & quantum alii pro honoribus, alii pro divitiis, alii pro voluptatibus & commodis hujus vitæ contendunt: tantum nos contendamus pro cœlo! *Æquitas* poſtulat: *Neceſſitas* urget. Habetis *geminum argumentum* meæ diſſertationis, per quam animos veſtros præparare deſidero, ut per hoc triduum alacrius, atque cum omni contentione vires animi *in exterminium acediæ* impendatis. *Sedeamus*! . . . Clama, ne ceſſes, Domine, da verbis famuli tui pondus ac vim, ut *verba tua* cum fructu explanem: *verba vitæ æternæ ſunt!* . . Applicate utramque aurem, Domini Sodales! . . . *Contendite intrare*! ait Chriſtus: *æquum* eſt, quia contentionem cœlum meretur: hoc eſt primum: *Contendite intrare*! Neceſſarium eſt, quia anguſta eſt porta, & contentionem *periculum* exigit: hoc eſt alterum mei ſermonis caput, & digna omni attentione materia. Attendite. Unicum vitium toto triduo oppugnabimus: unicum ſi expugnaverimus: ſatis eſt: *ſalvi erimus*.

Pars I.

Contentionis Æquitas.

ENimvero ſi eſſet incertum, utrum poſt hanc vitam futura ſit alia vita: aut ſi beatitudo alterius vitæ eſſet vile bonum, atque exigui pretii: non mirarer, *acediam* in negotio ſalutis adeo late graſſari: & cum tanta ſtrage animarum ubi-

ubique gentium imperare. Verum aliter ſe habet rès. Quod detur *vita poſt mortem*, certum eſt: & illius vitæ beatitudo *ſumma eſt*. Ex hac *certitudine*, & ex hac *magnitudine* futuræ beatitudinis ego *æquitatem Contentionis pro cælo* demonſtrare conſtitui. Itaque *de exiſtentia* illius primum, deinde *de eſſentia* dicendum erit. Ajo: *Exiſtentiam* eſſe omni certitudine certam: *Eſſentiam* autem omnium bonorum aggregatione perfectam.

Exiſtentia certa eſt *ex authoritate Divina*. Libri Moyſis, Pſalmi, Prophetæ, Evangelia, Actus Apoſtolorum, Epiſtolæ, Apocalypſis, Scriptura omnis de reſurrectione mortuorum, de gloria Sanctorum, de mercede æterna clariſſimis teſtimoniis ſcatet. Eandem *auctoritas humana* confirmat. Nam nullo non tempore de vita beata poſt mortem ita inter cultiores præcipue populos opinio viguit, ut non Poëtæ ſolum de campis Elyſiis cum plauſu cantaverint: ſed & toto pæne orbe mos invaluerit, viros de humano genere bene meritos Diis immortalibus per ſolemnem Apotheoſin *poſt mortem* adnumerandi, ut adeo, quam latum olim fuit Idololatriæ imperium, tam late in tantis tenebris lumen hujus veritatis perpetuo fulſerit: *Datur vita poſt mortem*. Neque potuit ulla barbaries hujus radii ſplendorem extinguere. Porro auctoritati *humanæ* vis, *Divinæ* autem ſuavitas in animis ſibi devinciendis *ab evidentia rationis* accedit. Sic argumentor. *Vita*

poſt mortem dari poteſt: ergo datur. Si negas, *dari poſſe,* dicis Deum *impotentem* eſſe: ſi negas, *dari actu*, Deum criminaris avarum eſſe, qui tot fideles ſervos, quot Martyres numeramus (nam hos ſolos nominaſſe hic ſufficit) pro honore ſui Domini mortuos, *quamquam poterat,* præmiare noluerit. Eja! non recte dixi, *omni certitudine* certam eſſe exiſtentiam vitæ poſt mortem? ubi ſunt enim, qui mutire contra vel verbum audeant?

Ad veſtrum tamen ſolatium, DD. Sodales! addo argumentum ad hominem, qui vobiſcum credit, *quod Chriſtus ſit Deus*, & quæro: Quare Dei filius homo fieri pro homine voluit? Angeli recens nato accinentes reſpondent: *Natus eſt vobis hodie Salvator*! Luc. 2. Qualis ſalvator? Non utique, qui ſalvet nos a malis *vitæ præſentis*: nam & qui ante, & qui poſt Chriſtum vixerunt, iisdem malis *temporalibus* torquebantur. Igitur a malis *vitæ futuræ* Salvator eſt Chriſtus: atque adeo exiſtit vita poſt mortem. O qui ſic vivitis, quaſi cum hac vita omne bonum, & omne malum deſineret, quam eſtis homines adipati ingenii, ſi argumentationis tam ſolidæ violentiam non ſentitis!

Sed omittamus inſectari hæc monſtra, ne cum umbris digladiemur. Juvat poſt perſpectam *exiſtentiam* ad inſpiciendam *eſſentiam* beatitudinis feſtinare.

Eſſen-

Digitized by Google

Essentiam *definitio* explicat. Beatitudo *perfecta*, sive *cui nihil deest*, definitur, quod sit *omnium bonorum secura possessio*. Certe non aliunde ipse Deus beatus est, quam quia possidet *omne bonum* sine defectu: & quia *secure* possidet sine periculo excidendi. Jam de hoc quærimus, utrum vita proborum post mortem sit *talis essentiæ*, sive an sit vita *perfecte beata*, aut, uti Philosophi volunt, *omnium bonorum aggregatione perfecta*!

Priusquam respondeam, finite, ut ad duo capita a vobis responsum petam. Quæro: an credatis, *quod detur Deus*? & an intelligatis, *quid sit Deus*? Forte ira se movet contra talia interrogantem. Dicitis enim: *Non sumus cæci.* Habemus oculos, quibus cœlum & terram videmus. Habemus intellectum, quo perspicimus clare, quod tam admirabilis fabrica existere *sine fabro* non possit. Intelligimus, quod Mundus neque *a se* sit: neque *a casu*. Non *a se*: Hoc enim quotidianæ præcipuarum partium (puta *viventium*) generationes satis loquuntur. Non *a casu*: nam si *homo pictus* fieri a casu non potest: *verum* fieri posse quis sapiens dicat? Concludimus: ergo datur ens intellectivum, cui se debet Mundus: datur Artifex: datur Creator cœli & terræ, quem *Deum* vocamus. Injuriam nobis facit, qui de veritate adeo manifesta interrogans nos, dubitare videtur, an non loquatur Atheis, quo genere hominum nihil est sive *impium*, sive *stupidum* magis,

Io! bene eſt. Jam igitur certus ſum, quod nullus Atheus adſit: certus de fructu ſermonis mei, ſi modo, poſtquam reſpondiſtis ad primam quæſtionem: *an ſit DEUS*? reſpondere etiam ad ſecundam velitis: *Quid ſit DEUS*?

Quæro: qualis ſit veſtra Idea, quis conceptus de Deo? Profecto ſi datur Deus, qui creavit hoc univerſum: utique ipſe eſt *Ens increatum*, Ens *a ſe*, quod nullum habet Ens *ante ſe*, a quo potuiſſet limitari: atque adeo *Ens illimitatum* in omni perfectione optabili: Ens ſibi ſoli ſufficiens: ſui juris: ab omni alio Ente *independens* ſicut *in eſſe* ſimpliciter: ita in *eſſe hic*: in *eſſe nunc*: in *eſſe tale*: verbo: Ens immenſum, æternum, infinitum in omni genere perfectionis (quam vocamus) ſimpliciter ſimplicis.

Quodſi aliquibus minus clara hæc explicatio de natura Dei videatur: ecce! clarior & brevior conceptus ſe offert, qui a prima infantia familiaris eſt nobis: *Deus eſt ſummum Bonum*: vel: *Deus eſt Dominus*, *Optimus*, *Maximus!* Dominus, quo *major* cogitari; & *melior* ſapienter optari non poteſt. Si enim daretur in nobis facultas meliorem Dominum *cogitandi*, quam Deus eſt: daretur etiam facultas meliorem *optandi*, quæ eſt propoſitio piis auribus gravis. Sibi ipſi ſane, ſuoque honori præjudicaſſet Creator, ſi dediſſet creaturæ potentiam Dominum *meliorem*, quam ipſe eſt, ſibi imagi-

gi-

Digitized by Google

ginandi. O nobile ratiocinium! O Idea digna intellectu ſano, & a barbarie non infecto, qualem, qui habuerunt, ſcitis, quam, non dico, ridiculos, ſed ſtultos ac abominandos conceptus ſibi de ſuis Diis formaverint.

Sed ego jam ſtringo nodum, & ſic concludo: Datur Deus: & Deus eſt Dominus Optimus Maximus: ergo beatitudo, quæ datur poſt mortem, eſt beatitudo optima, maxima: eſt per ſuam *eſſentiam* omnium bonorum ſecura poſſeſſio, ſive *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*: Status beatior, quam eſt beatiſſimi hominis in hac vita: Status, in quo carebimus omnibus malis, & abundabimus omnibus bonis, quorum ſive quoad corpus, ſive quoad animam, ſeu per naturam, ſeu per gratiam capaces ſumus, & hoc *ſine fine*. Demonſtratio concluſionis eſt obvia, fluitque ex Dei conceptu. Si enim Deus talem vitam diligentibus ſe præparare non *potuiſſet*, non eſſet *Dominus Maximus*: poſſemus cogitare *majorem*. Si vero talem præparare non *voluiſſet*: non eſſet *Dominus Optimus*: poſſemus *meliorem* optare.

Hic ego *vitæ poſt mortem* feliciſſimam conditionem ſi vellem deſcribere: poſſem enumerare innumera *mala*, quibus in hac vita obnoxii ſumus, liberi futuri in illa: poſſem amplificare *bona*, quibus affluemus in cœlo, torrente voluptatis, Pſalmiſta teſte, æternum potan-

Digitized by Google

di: possem exaggerare gaudium, quod *animæ* per novam cnm carne unionem accedet in resurrectione corporum, sine qua non homo, sed una tantum pars hominis beata foret: delicias *loci* magnitudine, & magnificentia infiniti: voluptates *sensuum* quam ab omni fæce puras, tam imperceptibili suavitate mirabiles: lætitiam *conversationis* in societate Sanctorum: dulcedinem *admirationis* in visione, & *amoris* in tenerrimo amplexu Dei: Denique Canticum Canticorum *de securitate possessionis* sine metu perdendi, sine timore finis. Verum quia non est animus hodie cœli gaudia laudare: & ego Sapientibus loquor, facile illa æstimantibus ex pretio, quod ipsa Sapientia pro illis persolvit: judico, quod *Existentiæ* evidentia, & *Essentiæ* simplex intuitus sufficiant ad extorquendam vel ab obstinatissimo hanc confessionem: *æquum esse*, ut homo pro vita beata post mortem *omni contentione* contendat.

Quid enim? quantulumcunque malum sit, quod nos premit: sit dolor dentium, & non alius: quantulumcunque bonum sit, quod appetimus: sit vulgi applausus: sit finis litis: sit promotio filii: quot curis angimur? quot vigiliis maceramur? quot molestias ferimus? quot modis, ut spes nostræ ne fallant, diu, noctuque *contendimus*? Et vita, misera ista vita tot fœta ærumnis, tot calamitatibus infamis, ut ad aliquot annos sustentetur: quid agimus? imo quid non agimus? quid non patimur?

Digitized by Google

timur? Tamen poſtquam atrociſſima quæque toleravimus a Medicis & medicinis, denique moriendum eſt; *Pro vita poſt mortem* autem, pro æternum beata vita agere nihil, pati nihil velle, *æquum* videri, homini ſano poſſit?

Indigna res! exclamat Chryſoſtomus: ſi poſſem promittere tibi o Senicule, facturum me, ut rurſum juveneſcas, & deinceps mille annos vivas lætus ac vegetus: nunquid pro hac ſponſione & faceres, & patereris, quidquid juberem? nunquid obedires ad nutum? Si peterem, ut inimico ignoſceres: hodie amplexareris. Si vellem, ut reſtitueres male parta: hodie illis, quos defraudaſti, quadruplum redderes. Si juberem, ut abrumperes turpe commercium, cui cum publico ſcandalo implicitus es: hodie ejiceres ſuſpectam fœminam, ruptis ſtrenue pudendis vinculis, quibus infamis Dalila ſtolidum Samſonem ligavit. Denique ſpes *vitæ ſanæ* in mille annos protrahendæ *ſine moleſtia*, moleſtiſſimum quodvis imperium dulce redderet: obedires cum gaudio: omnis *contentio* jucunda foret. Ah! Ego tibi promittere beatam horam nec unam poſſum. At Deus eſt Dominus tuus, Optimus, Maximus Dominus, qui tibi promittit vitam poſt mortem, non mille annorum, ſed æternam, illamque vacuam ab omni malo, refertiſſimam omni bono, in illa inſula fortunata, ubi (nam juvat cum Auguſtino cantare)

Ubi

Digitized by Google

Ubi juventus nunquam ſeneſcit:
Ubi ſanitas nunquam langueſcit:
Ubi decor nunquam marceſcit:
Ubi amor nunquam frigeſcit:
Ubi gaudium nunquam decreſcit:
Ubi vita terminum neſcit.

Et tibi non videtur *æquitas* poſtulare, ut audias Salvatoris clamorem: *Contendite intrare!* & omnibus viribus pro tali vita obtinenda contendas?

Imo in tanta luce demonſtrationum *æquitatem contentionis* nemo non videt. Sed ego erravi, cum credidi, *acediæ* noſtræ matrem eſſe aut infidelitatem, aut ignorantiam de vita futura. Paucorum hoc vitium eſt. Plerique *exiſtentiam* credimus: & *eſſentiam* Beatitudinis ex merito æſtimamus. Non tamen movemur, ut vincere velimus *naturæ inertiam*, quam vincit *Curſor*, ut corruptibilem coronam accipiat: vincit *Miles* per incertæ prædæ fiduciam: vincit *Mercator* per exigui lucelli ſpem: Vincit *Opifex* & *Agricola* propter pugillum hordei, & fragmen panis. Vincunt autem *iſti*, quia laborem ſuum ſibi eſſe *neceſſarium* ad ſuum finem intelligunt: non vincimus *nos*, quia, quantumvis *certam*, quantumvis *magnam* credimus eſſe cœli beatitatem: paſſim tamen invaluit opinio, viam ad cœlum eſſe faciliimam: & ad vitam æternam poſſe fideles animas *ſine magnis incommodis* transgredi. Hæc falſa atque noxia perſuaſio

ſuaſio damnabilem ignaviam alit: & ſecuritas, *ſecuritas* cauſa eſt, quod, quam multis ad aures, tam paucis in animum penetret vox Domini: *Contendite intrare!* CONTENDITE! Itaque nihil egimus, niſi, poſtquam *æquitas contentionis* demonſtrata eſt ſatis: etiam *neceſſitas* demonſtretur, quam Dominus *in anguſtia portæ* ſignificat. Atque hoc modo agimus.

Terribile argumentum eſt, quod cum tractabo, tinnient ambæ aures veſtræ, Domini mei! & oſſium medulla frigeſcet. Sed *territus terreo.* In pari periculo ego & vos verſamur. Itaque (ut cum Apoſtolo loquar) ſi contriſtabo vos, gaudebo, non, quia contriſtabo vos, ſed quia contriſtabo ad pœnitentiam, ad ſalubrem timorem, ad ſeriam contentionem, ad mortiferæ acediæ *exterminium.* At quoniam ego nihil ſum, niſi *vox clamantis*, quæ *aures* ferit: tu, Domine, qui cathedram in Cœlo habes, tu *corda* doce.

Pars II.

Contentionis neceſſitas.

JUvat familiariter agere, ut *contentionis neceſſitas* paulatim oculis etiam cæcutientibus ſe oſtendat. Dicite: Quid putatis? Quantum requiritur, ut aliquis noſtrum æternum damnetur? Fortaſſe non habet infernus alios

inco-

Digitized by Google

incolas, nisi fratricidas Cainos? nisi tyrannos Pharaones? nisi Judas proditores? nisi Sodomitas *homines pessimos, & peccatores coram Domino nimis*? Gen. 13. Sit ita. Quæro: An nemo præsentium est, qui verbo aut exemplo proximum suum in grave scandalum impulit? Ille *fratricida* est. Nemo suos famulos, imo suam animam ita profanis laboribus obruit, ut nunquam tempus inveniant Deo, & suæ salutis curæ vacandi? Ille *tyrannus* est. Nemo temporale lucrum gratiæ divinæ præhabuit? Ille *Judas* est. Nemo carnis libidini, & lascivæ Veneri mancipatus, obscœnis cupiditatibus frænum laxavit? Ille homo *pessimus* est, & *peccator coram Domino nimis*.

Verum cur ego talia scelerum monstra potius, quam scelera commemoro? Ut damneris, o homo infelix! non opus est imitari exempla famosorum gigantum, qui per summam impietatem Deum de Cœlo exturbare moliuntur: Sufficit, ut *unius* peccati gravis te reum facias: & *reus*, antequam expiaveris per pœnitentiam, moriaris. Ita nos docet *natura peccati*, quod constituit hominem Dei inimicum. Ita monet Scriptura: *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*! Sap. 14. Idem evincit triste exilium primorum Parentum: & horrendus lapsus Luciferi cum tertia parte Angelorum. Itaque si ostendero, *per acediam* fieri facile, ut in grave peccatum incidas, & fieri

Digitized by Google

fieri facile, ut antequam expies, moriaris: fateberis, opinor, quam asſero, ſummam *contentionis* neceſſitatem. Utrumque igitur aſſertionis meæ caput examinemus.

Quando Chriſtus dixit: *Contendite intrare per anguſtam portam!* continuo adjecit plenam horrore ſententiam: *Quia multi* (*dico vobis*) *quærent intrare*, & *non poterunt!* Anguſta porta, ex mente SS. PP. eſt *obſervantia præceptorum*, conformiter ad illud: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata!* Matth. 19. Itane? Ergo multi *quærent* ſervare mandata, & *non poterunt*? Omnino ita. Quærent ſervare, & tamen non poterunt intrare in Cœlum, quia quærent, quin *contendant*: atque adeo quærent vel non ſatis *cito*, vel non ſatis *ſerio*, vel non ſatis *conſtanter*. Obiter, lente, cum faſtidio quærent: obvia difficultas ſufficiet, ut quærere deſinant. Et quia in hac Providentia impoſſibile eſt, ut nullæ difficultates in obſervantia præceptorum occurrant: *Sic quærendo* intrare, *non poterunt* intrare: quia ſic quærentium nulla eſt *voluntas* intrandi, ſed mera *velleitas*: velleitatibus autem infernus quidem impletur: Cœlum autem, quod *vim* patitur, non expugnatur.

Debebat ſufficere hoc ipſius Veritatis teſtimonium, ut contentionis *neceſſitatem* nemo revocaret in dubium. Ne tamen pervica-

cibus

cibus ingeniis de ſenſu textus cavillandi facultas ſit: etiam *ratione* pugnemus.

Attendite, quod hæc ſit præceptorum ſynopſis: *Declina a malo, & fac bonum!* ſive quod præceptorum duo ſint genera, *affirmativa*, quæ præcipiunt bonum: *negativa*, quæ prohibent *malum*. Teſtatur autem Jacobus Apoſtolus in Epiſtola ſuá Canonica, quod *quicunque totam legem ſervaverit*: ſi offendat *in uno*, fiat *omnium* reus. Jam non exibimus ex hoc Oratorio, priusquam fateri vos cogam fieri non poſſe, ut omnia præcepta ſervetis, atque ita *in nullum peccatum grave* incidatis, niſi *per magnam contentionem*.

Tres ſunt claſſes hominum, quibus hic loquor, viri Eccleſiaſtici, viri conjugati, & juvenes ſtudioſi. *Juvenes ſtudioſi* Parentum ſpei, exſpectationi Reipublicæ, intentionibus Dei de ſe, & obligationibus ſuæ vocationis, adeoque præceptis *affirmativis* huic ætati propriis *ſine contentione* nunquam ſatisfacient. *Viris Eccleſiaſticis* incumbunt obligationes ſacrorum Ordinum, & onera Beneficiorum; *ſine contentione* non reſpondebunt. *Viri Conjugati* tenentur familiam, & ſæpe Rempublicam regere. In utroque Regimine Deus ſcit, quam gravia peccata vel *per ſolas omiſſiones*, ſive *per acediam* fiant. *Contentio* neceſſaria eſt *Marito*, ne per amorem ſuperbæ uxoris debita contrahat, quæ nun-

quam

Digitized by Google

quam ſolvet, omiſſa obligatione coercendi faſtum fœminæ intra limites competentis modeſtiæ, calcato metu rixarum. *Contentio* neceſſaria eſt *Patri*, ne liberi aut per prodigalitatem redigantur ad incitas: aut per incuriam & conniventiam malis moribus imbuantur. *Contentio* neceſſaria eſt *Hero*, ne per ipſius ſomnolentiam famulitio liceat impune peccare: aut per avaritiam non liceat ad Religionis exercitamenta ſuis horis incumbere. *Contentio* neceſſaria eſt *Officiali*, ſi Medicus, ſi Advocatus, ſi Judex eſt, ut officio cum cura fungatur, non temere, non imperite, non negligenter, non ad tertii injuriam. *Contentio* neceſſaria eſt *viro nobili*, ut, ſi habet, quos ſive conſilio, ſive imperio regit, jus ſuum cuilibet tribuat *ſine diſcrimine*: abuſibus noxiis fortiter ſe opponat *ſine timore*: ſalubriter ſtatutorum executionem urgeat *ſine reſpectu*: litigantium diſſidia componat *ſine procraſtinationibus*: miſerorum querelas audiat *cum patientia*: ac tandem bono communi ſuam operam conſecret ſine cupidine lucri aut gloriæ ſive pro ſua perſona, ſive pro ſua familia. Numeret, qui poteſt, peccata omiſſionis, quæ a talibus fiunt, ſi *per Acediam* volunt declinare moleſtias ac labores cum recta officii adminiſtratione ſine ſpe diſpenſationis connexas. Piget in re clara diutius diſputare.

Ab affirmativis ad præcepta *negativa* vertamur: & cum *sine contentione* nihil fiat *boni*: an saltem declinare *a malo* possimus, quin *contentione* sit opus, videamus. Quanquam o Cœlum! an non jam malus est, qui omittit bonum, ad quod tenetur? Sed omittamus hæc. Inspicite vos, obsecro, & circumspicite. Simplicissimus intuitus sufficiet, ut *contentionis necessitas* etiam ad evitanda peccata *commissionis* in oculos incidat.

Intra vos nidulantur *cupido* & *timor*, affectus feroces, & magnorum non raro Sanctorum prostratione infames, si *ab acedia* sustentantur, vel *acediam* generant. *Cupido* voluptatis carnalis virum secundum cor DEI in execrabile adulterium rapuit. *Cupido* modici lucelli ex Apostolo Apostatam fecit. *Cupido* altioris gradus ac tituli Angelum in diabolum vertit.

Similiter *timor* contumeliæ ad negationem Magistri optimum discipulum impulit. *Timor* egestatis Ananiam & Saphiram a primæ Ecclesiæ communione exclusit. *Timor* mortis Apostolos omnes a Christo in turpem fugam abripuit. Tantum *duo affectus* etiam in corde Sanctorum possunt, quando *acediæ* vel angulum cedunt.

Et tamen nihil de turba reliquarum passionum memoravi. Nihil de *amoris* phre-

Digitized by Google

phreneſi: nihil de *odii* rabie: nihil de ineptiis *gaudii:* nihil de vanitatibus *ſpei* : nihil de furore *audaciæ* : nihil de *triſtitæ* vi: nihil de conſiliis *deſperationis* : nihil de *iræ* & *impatientiæ* motibus: nihil de anxietate *horroris.* Atque tot *intra nos* hoſtes noſtram virtutem oppugnant.

Circa nos inſuper omni tempore, omni loco infeſtant *verba* & *exempla* hominum pravorum, quos malus dæmon ad noſtram perniciem incitat. Sunt, qui *ſuadent* flagitium, & ſpeciem neceſſitatis exaggerant. Sunt, qui *defendunt*, & per fucatas rationes excuſant. Sunt, qui *laudant* adeo, auſisque heroicis adnumerant facinora ab Evangelio damnata. Sunt, qui *imperant* inſuper, ſuæque auctoritatis poteſtate impellunt. Sunt denique, qui ſua, ac aliorum exempla oſtentantes exultant in rebus peſſimis, atque *cur tu velis eſſe ſingularis* ? cum ſarcaſmo interrogant. Quid? inter tot occaſiones peccati, in tot periculis, contra tot illecebras vis, ut credam, victorem te diu fore, niſi didiceris, & aſſueveris cum ejuſmodi inimicis *contendere*? Credam, ſi tamen prius probaveris, quod non ſis ſicut alii hominum, in Adami peccato conceptus: ſed per ſingulare privilegium & exemptionem a maſſa communi, liber ab omni *ignorantia*, immunis *a fragilitate*, nullique *levitati* obnoxius. Fruſtra es: *ſine*

Digitized by Google

contentione fieri non poteſt, ut non facile in peccatum incidas. Inanime lignum non nititur contra torrentem.

Fortaſſe: Sit! incidam! inquies: num ideo in inferno jam ſum? Non poſſum a peccato redire ad gratiam? Non, ſi clauſa eſt *innocentiæ* porta, potero in Cœlum per januam *pænitentiæ* ingredi? Omnino, poteris: fateor enim. Sed *ſine contentione*, nego, quod poſſis. *Contentio* ſicut ad ſervandam *innocentiam*, ita ad agendam *pænitentiam* eſt neceſſaria.

Veram pœnitentiam Patres nomine Baptiſmi *laborioſi* compellaverunt, ut intelligas inimicam eſſe *acediæ*. Labor eſt *in dolore*, ut peccati gravitatem graviter apprehendas, & graviter deteſteris, cum ſerio propoſito non repetendi. Acedia neque intellectum applicat conſiderationi, neque voluntatem deteſtationi. Ita dubius fit *dolor*. Labor eſt *in confeſſione*. Diligentiam Examen poſtulat, & victoriam pudoris ſincera explicatio criminum. Sic ſcrutari viſcera nimis moleſtum negotium eſt pro acedia: & exponere omnem numerum cum omnibus circumſtantiis neceſſariis difficultas inſuperabilis. Obiter facit omnia. Ita dubia fit *confeſſio*. Labor eſt *in ſatisfactione*. Promittenda eſt reſtitutio bonorum, & famæ: promittenda fuga occaſionum: promitten-

tendus usus remediorum contra ipsam acediam. Promittuntur omnia, & nihil fit. Ita fit dubia *satisfactio.*

Plus dicam. *Acedia* ex horrore laboris, qui pœnitentiam comitatur, facile *excusat* peccatum. Quodlibet testimonium, quælibet ratio sufficit, ut judicet homo, se aut nihil, aut non nisi leviter peccavisse. Amantur tenebræ. Ita nullus fit dolor, nulla confessio, nulla satisfactio. Deinde Acedia, si etiam peccatum grave agnoverit: pœnitentiæ molestiarum impatiens *differt* de die in diem, donec tempus non erit amplius. Ita rursum nullus fit dolor, nulla confessio, nulla satisfactio. Denique *Acedia*, si etiam viceris te, & de peccato rite pœnitentiam egeris, perseverantiæ tædio correpta, cito *resilit* a proposito, & vias antiquas repetit tentationibus impar, a quibus omnis pœnitens multum vexatur. Ita fit dolor inutilis, confessio inutilis, satisfactio inutilis *ad ultimum finem*, cum nemo, nisi qui perseveraverit usque in finem, coronetur. Ecce! futilis *excusatio*, imprudens *dilatio*, & perpetua *inconstantia* sunt triplex effectus Acediæ, effectus damnabilis, & damnans omnes, quotquot *sine contentione* ingredi cœlum sperant. Vana est spes. Et *ne incidas* in peccatum: & *ut resurgas* a peccato, summa est contentionis *necessitas*: Acedia & innocentiam, & pœnitentiam perimit.

Digitized by Google

Conclusio.

ITaque decisa est Quæstio, AN? *æquum* omnino, & *necessarium* est, pro cœlo contendere. Sequitur Quæstio, QUOMODO? Ut practice finiamus, breviter doceo. Patientia!

Salus animæ pendet a bona morte: bona mors a bona vita: bona vita a bona constitutione trium temporum, ex quibus vita componitur. Quid facit *Acedia*? Per tres actus tanquam per tres rivulos venenum suum in totam hominis vitam effundit. Primus est, *sera*, & *frigida pœnitentia*, qualis quæ est, sæpe nulla, semper inconstans est. Ita *vita præterita* non emendatur. Alter, *negligens applicatio* ad negotia quotidiana agenda ex regulis Christianismi. Ita *vita præsens* ad Numinis beneplacitum non ordinatur. Tertius, *Incuria æternorum.* Ita non providetur *vitæ futuræ.* Verbo: *Acedia* facit, ut *sero* servire Deo velimus, & neque tunc *serio*, certe *non diu.* Videtis, ad quam horridi præcipitii marginem *homo piger* consistat.

Verum his artibus in perniciem animarum grassanti vitio ut opponamus nos, jubet Dominus acclamans inertibus: *contendite*! Contendere est *contra ire*, atque arma armis repellere. *Acediæ* contraria est *diligentia*: per diligentiam igitur *contra acediam* imus. Arma sunt *actus animæ.* Tribus actibus vitii, contrarii *tres actus* virtutis exerceantur,

atque

Digitized by Google

atque per frequentationem in habitum transeant: & debellavimus. Quæritis, quos *actus* velim? dixi *contrarios*. Ita ex una voce intelligitis, quales ſint. Dolor, amor, timor ſunt illi actus, a quorum uſu EXTERMINIUM ACEDIÆ venit. DOLOR contrarius eſt *ſeræ frigidæque pœnitentiæ*: emendat *tempus præteritum*: & facit nos Deo ſervire *cito*. AMOR contrarius eſt *negligentiæ*. Ordinat *tempus præſens*: & facit nos Deo ſervire *ſerio*. TIMOR contrarius eſt *incuriæ æternorum*: providet *vitæ futuræ*: & facit nos Deo ſervire *conſtanter*. Dolor, amor, timor, *totam hominis vitam* ad Dei nutum componunt. Itaque in dolore, in amore, in timore omnis hujus tridui cura verſabitur. Cura utilis! occupatio jucunda! triduum felix! Ergo ad rem. VIVAT JESUS! *Moriatur Acedia*! Hæc ſit teſſera belli ſacri, quod pro expugnando Cœlo ſuſcipimus. Cœlum vim patitur: vim inferamus! ſine vi nihil fit. Ecce! *Vexilla Regis prodeunt: fulget Crucis myſterium*! Ex hac Cruce clamat JEſus: *Contendite intrare per anguſtam portam*! Exemplum dedi vobis. *In hac cruce* legitis futuræ Beatitudinis *Exiſtentiam*, omni certitudine certam: & *Eſſentiam* omnium bonorum aggregatione perfectam. Pro bono, aut *incerto*, aut *levi* ego mortem crucis non ſubiiſſem. *Ex mei ſanguinis pretio diſcite*, quam ſit *æquum* pro Cœlo contendere. Rurſum *per hanc Crucem* manifeſtat ſe contentionis *neceſſitas*. Cer-

te si oportuit pati me, & sic intrare in gloriam meam: servus non est major Domino: nec ego laboravi ideo, ut vobis otiari liceret. Vigilate! orate! contendite! *sine contentione* neque cavebitis, ne *in peccatum* incidatis: neque obtinebitis, ut *a peccato* resurgatis, si incideritis. Postremo *ex hac Cruce* doceo vos contentionis *modum*. Tempore passionis meæ tristis fuit anima mea usque ad mortem: pro vobis *dolui*. Sic Deum, sic vos *amavi*, ut me ipsum in Crucem darem. Cœpi tædere, & pavere, quia vobis *timui*. Tantæ contentionis & *causa*, & *modus* mihi dolor, amor, timor fuerunt. Exemplum dedi vobis. Ego sum Via! difficilis via, sed unica. Nam nisi *per me*, nemo intrabit in regnum Cœlorum. Nolite errare *cum multis*, qui *per viam planiorem* (dico vobis!) quærent intrare, & non poterunt. Hac est eundum.

Hac ibimus Domine. Tu trahe nos, & curremus in cruenta vestigia. Salve o sancta Crux, semper desideranda, sollicite amanda, sine intermissione quærenda! Venite! adoremus! Quem? Christum adoremus, Messiam nostrnm, non qualem Judæi expectant sedentem in solio, fulgentem gloria hujus mundi, qui suo cultori omnia regna ex alto monte ostendens dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me!* Matth. 4. Non, non talis est noster Messias: sed cujus *regnum non est de hoc mundo*: cujus purpura est sanguis,

cujus

cujus corona ſunt ſpinæ, cujus thronus eſt Crux: Ille eſt noſter Chriſtus. Meſſias Judaicus ad infernum: Chriſtus noſter ad Cœlum eſt Dux. Venite! adoremus! Promittamus ſequelam.


O qui teipſum dediſti *viam* nobis, Domine JESU Chriſte! da *animum generoſum*, ut a te neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinemus. *Ad dextram* amor vitæ commodæ invitat. *Ad ſiniſtram* impatientià moleſtiarum trahit. Jam huc, jam illuc *Acedia* ſevocat, ipſum laboris nomen ſupra modum faſtidiens. Sed nos non audimus Sirenem. Te audimus. Neque enim alio fine huc convenimus, quam ut quæreremus ex te: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebimus*? dixiſti: CONTENDITE! Audivimus Contentionis æquitatem, neceſſitatem, & modum. Supereſt, ut per hoc triduum, quod uni Tibi audiendo conſecramus, animes nos, ut, quod faciendum eſſe intelleximus, faciamus. Acedia obſiſtit. In exterminium acediæ *dic verbo*: & irruent ſuper nos dolor, amor, timor: junctisque viribus fœdam belluam proſternent, proterent, enecabunt. Dic verbo: & fiet. O fiat! VIVAT JESUS! Moriatur acedia!

NB. NB. *Finita diſſertatione dimiſſurus Auditores Director monuit de hora* I. *Meditationis in craſtinum, rogavitque, ut congrue ad exhortationem Chriſti animum afferrent*

rent huic resolutioni affixum : Volo salvare animam meam, quocunque labore constet! *Addidit* : Laboris, *quem hæc* Resolutio *exigit* , *tres partes sunt* : *volo servire Deo* cito: *volo* serio: *volo* constanter. *Vel una si desit*, *resolutio ad salutem insufficiens est. Porro singulis se opponit* acedia, *quæ causa est* , *propter quam toto triduo* hoc unum vitium *sumus oppugnaturi. Certum est enim, quod dixi*: hoc unum *si expugnaverimus* , *satis est*: *salvi erimus. Initium pugnæ* , *obsecro* ! *hodie adhuc facite ante somnum* per breve Examen. *Examinis* materia *sit hic Syllogismus*: Servus piger non salvatur: sed ego sum servus piger : ergo non salvabor. *Conclusio est* in forma , *&* *Major* de fide. Ad Examen *pertinet* , *ut severe interroget quisque seipsum*, an possit negare Minorem : *Notate hoc bene*, Contendite intrare per angustam portam ! *Ex his Christi verbis fluit hic syllogismus*: Servus piger non salvatur : sed ego sum servus piger : ergo non salvabor. *Conclusio est* in forma, *&* *Major* de fide. *Væ infelici* , *qui hac nocte moriturus non posset negare* Minorem ! *væ illi* ! *Ita discessum est in silentio.*



Dies



Dies I.

Dies Doloris.

NB. NB. *Ingressus Oratorium Director iterum salutavit Congregatos, & dixit:* Laudetur JEsus Christus! *Responderunt:* in æternum. *Tum ille:* Meministis, *ajebat:* Syllogismi adhuc, quem pro materia Examinis dabam? *sic habebat:* Servus piger non salvatur: sed ego sum servus piger: ergo non salvabor. *Heu! si aliquis hac nocte mortuus esset, & non potuisset divino Judici negare* Minorem: *ubi esset? . . . Sed hodie sic comparabimus animum, ut saltem deinceps* servi pigri *non simus. . . Dies hodierna* dies doloris *erit. Dolor emendabit* vitam præteritam, & acediam pœnitentiæ *expugnabit. Itaque irrue sancte dolor! ipsas medullas occupa!* beati, qui lugent, *erunt. Lacrymæ pœnitentium sunt vinum Angelorum. Hoc vinum hac die Cælitibus propinemus.* Veni Creator Spiritus.

Finito Hymno, qui ab omnibus alta voce recitabatur, dixit Director: Jam humiliate capita vestra Deo! *Deo a vobis offenso, Deo forte adhuc vobis irato, & inimico, Deo*

non

non nisi per serium dolorem placando. Contendite placare! *tardatum satis est: serviendum est Deo* cito. *Cor ad dolorem, oculos ad lacrymas comparate. . . .*

Doloris, & primæ Meditationis materia *est peccatum.* Puncta duo. Actum *peccati in primo:* Statum *peccati considerabimus in secundo.* Fructus *erit dolor intensus, & frigidæ pœnitentiæ emendatio* celeris. . . .

Præludium I. *Contemplatio Christi in horto peccata nostra deplorantis inter gravissimos gemitus, usque ad sudorem sanguineum, usque ad agonem.*

Præludium II. *Supplicatio pro gratia intensi Doloris.* JESU! qui amarissimos peccati fructus propter nos gustasti avide: fac nos vere tecum flere! Sedeamus.

MEDITATIO I.
De Gravitate Peccati.

PUNCTUM I.
Consideratur actus peccati.

1. PEccatum mortale a morte animæ sic dictum, est *libera transgressio Legis DEI graviter obligantis.* Talis *actus*, si vel *unicus* fuerit, ajo, quod sit digna æterni, & intensissimi *doloris* materia. Intueri enim possumus

ſumus in ejusmodi actu primum *ſubſtantiam*, deinde *circumſtantias*. Utraque conſideratio horridiſſimi horroris origo eſt.

2. In ſubſtantia *actus* graviter peccaminoſi exhibet ſe execrandus *contemptus Dei*. Nam tria ad ſubſtantiam peccati mortalis concurrunt: *in Deo*; voluntas *graviter* obligandi, ſive exigentia obedientiæ ſub interminatione indignationis æternæ: *in homine*, plena advertentia ad gravitatem præcepti *ex parte intellectus*: & plenus in transgreſſionem conſenſus *ex parte voluntatis*. Atque ita peccare graviter dicitur ille omnis ac ſolus, qui *ſciens* & *volens* imperanti Deo obedire detrectat, *parvi pendens*, quod gratia Domini ſui excidat, cum periculo æternum carendi, & hoc ideo, ut vel bonum aliquod *temporale* obtineat: aut a malo *momentaneo* liberetur. Age! In hac veriſſima explicatione *de natura peccati* quis ita cæcutit, quin graviſſimum Dei contemptum perſpiciat? *Libere* fit peccatum: igitur *per electionem*. Electionem autem præcedit *cognitio indifferens*, per quam ad utramque partem contradictionis voluntas *inclinatur*: ad neutram *rapitur*, quia neutra aut bonum *purum*, aut malum *purum* proponit. Una ergo pars dicit e. g. Evæ: *carpe pomum, nam dulce eſt, etſi prohibitum ſit*! Altera: *Non carpe, nam prohibitum eſt, etſi dulce ſit*! Per hanc cogitationum pugnam Eva aliquamdiu ſuſpenſa

nu-

Digitized by Google

nutavit, lancium instar in libella certantium. Tandem vero *per consensum* addidit pondus novum: comestionem *insuper habita probibitione* elegit; hoc est: a Creatore se ad creaturam convertit: maluitque appetitui suo satisfacere, quam Dei Opt. Max. gravissimo imperio obedire. Ecce! hæc est *natura peccati*: & similis *electio* toties repetitur, quoties *actus graviter probibitus* adhibetur *ut medium* ad consecutionem boni, vel fugam mali *temporalis*: electio utique non modo imprudens: sed temeraria, petulans, impudens: *Summo Bono*, ad cujus fruitionem creati sumus, summe contraria: *Summo Domino*, cui summam obedientiam ex mille titulis debemus, summe injuria.

3. Eja! ubi sunt modo, qui dicunt: *Si furor: si mæchor: si ulciscor injuriam: non volo Deum offendere: sed facio talia, quia cogit necessitas: quia libido trahit: quia honor familiæ postulat. Sit Deus, qui est! non me oppono. Imo gratulor! æstimo! amo! adoro, modo se meis non opponat consiliis.* Superi! Inferi! Potestis ita impie loquentes patienter audire? Homo inanis! Vis igitur, ut sinat Deus *exlegem* te vivere? Vis, ut *dominio* in te suo se exuat? Vis, ut non sit contrarius tibi, si tuas delicias, honorem, necessitates plus cures, quam voluntatem ipsius? Et dicis tamen: *Sit Deus, qui est: non me oppono.* Quid? cum vis talia, non

vis

vis hoc ipso, ut cesset Deus esse, qui est? Profecto cum primum tu eris *exlex*: cessabit Deus esse *Dominus tuus*. Cum tibi licebit, te, & tua plus amare, quam Deum: Deus cessabit esse *summum bonum tuum*. Si æstimari, amari, adorari se patiatur. cum hac clausula; *ne se tuis opponat consiliis*: jam esse Deus cessavit, quia desiit esse *ultimus finis* tibi. Quam est igitur hæc stolida protestatio: *cum ago, quod Deus probibet, non volo Deum offendere*! Ipsi termini pugnant. Non obedire Deo est contemnere Deum; contemnere autem & offendere synonima. Ipsi *substantiæ actus* peccaminosi *qua talis* intrinseca est *vilipensio Dei*, quia, qui peccat: *sciens, volens*, tergum Deo vertit, & per calcatas legum tabulas in malum ruens, revocantem cum minis Dominum audire non curat. *Ex ore suo* hominem peccatorem judicemus. Age! jube, ut Auriga tuus rhedam, & equos paret. Ille audit imperium. Jamque executuro obviat amicus: invitat ad hospitium: vini generosi mensuram sitienti promittit: persuadet. Facinus audax continuo defertur ad te. Et quid tu? Exardes iracundia: furis: vocato ad te homini negligentiam exprobras: vestibus exuis: domo ejicis. Parcius bone vir! Quid enim adeo graviter peccavit auriga? Hei! gravissime me offendit, respondes: luat! Exilio de meis ædibus æterno luat! Offendit, ais? testis ego sum: *offendere noluit*. Voluit tantum

tum

Digitized by Google

tum in socii diu non visi gratiam adire hospitium: voluit suæ gulæ litare. Atqui ego, inquis, aliud jusseram: *Ego sum Dominus.* Imperium meum voluntati plebeii hominis, & suæ gulæ postposuit. *Contemptus*, offensus sum: injuriam vindico . . . Vindica! Vindica! nihil obsisto. Unum interrogo cum Apostolo Rom. 2. *Nonne, in quo judicas alterum, teipsum condemnas?* Heu! Quoties peccasti graviter, toties Dominum Dominorum per atrocissimum contemptum offendisti. In ipsa actus peccaminosi substantia hic DEI CONTEMPTUS latet.

4. Adde substantiæ *circumstantias*: malitia in molem immensam crescet. Omitto *communes*, quas notissimus versiculus: *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando*, exhibet. Unam (quia Auditoribus literatis, ac nobilibus loquor) unam circumstantiam *Personæ peccantis* attendo, quam etiam in peccato Davidis Deus exaggeravit. Audiamus Prophetam scelus adulterii exprobrantem gementi. *Hoc*, inquit, *dicit Dominus Deus Israël. Ego unxi te in Regem super Israël: & ego erui te de manu Saul: & dedi tibi domum Domini tui: & si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo* CONTEMPSISTI *verbum Domini, ut faceres malum in conspectu Domini? Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc.* 2. Reg. 12. Quasi diceret: *Ingrati-*

titudo & *scandalum*, tanquam caput & cauda peccati Davidici horrendis modis malitiam aggravant. Non ut *Pastor* peccavit, sed per gratiam Dei jam *Rex*: necesse fuit, ut *talis* contemptus *a tali* molestissimus Deo accideret. Tale vero est omne peccatum, quod sive Nobilis peccat, sive Literatus. *Ego*, dicit Dominus unicuique nostrum, *Ego unxi te in Regem*: Dedi *eminentiam* supra vulgus, & ad regimen sive populorum sive animarum vocavi. *Ego te erui de manu Saul*: & a necessitate tractandi stivam, asciam, acum liberato, *dedi Domum*, divitias, commoda, auctoritatem, potentiam, reverentiam subditorum: *Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora*: nam qui sive doctrina, sive exemplo, sive per officii sui curam ad justitiam erudierint multos, *fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates*, Joan. 12. & tantum supra plebem eminebunt in cœlis, quantum eminuerunt in terris. Tantus erga Nobiles ac Literatos Dei affectus est, si nobilitatis ac scientiæ prærogativa ad DEI honorem studiose utantur. Si autem non utantur: si, qui peccatum persequi, & exterminare *vi suæ vocationis* deberent, ipsi peccant: ingrati animi fœdissimam labem execrans Deus, atque contemptus tam *qualificati* impatiens exclamat: *Audite Cœli & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est! Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me!* Isa. 1. Ipsi illi,

quos ego honoravi: quos ut filios delicatius alui: quibus, etsi per naturam sint sicut cæteri hominum, dixi tamen: *Dii estis*! Ps. 71. meæque Eminentiæ, & Sapientiæ, & Potentiæ magnam partem communicavi: ipsi *spreverunt me*! . . Acerba querela est, qua perculsus David, cum singultiens pectus, & prorumpentes lacrymæ plura non finerent, duobus verbis: *Peccavi Domino*! vehementissimum dolorem locutus fuit.

5. *Duobus verbis*: quæ si nos serio pensaremus, utique similiter, ut David, fleremus amare de quolibet *actu* peccati, quo Deum offendimus. . . *Peccavi Domino*! Peccatum *in sua substantia* contemptum Dei includit: igitur ego Deum contempsi! *Obstupescite Cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer*! Jer. 2. *Ego Deum contempsi*: & *sciens*, ac *volens* excidere gratia Supremi Domini *elegi* potius, quam pravæ inclinationi resistere, quæ me ad sceleratam inobedientiam incitabat: *o insana electio*! . . Domine! quasi mea nihil interesset, sive *iratum* te mihi, sive *amicum* haberem: sic æstimavi te! *Peccavi*! . . . *Incipit lamentatio animæ peccatum suum agnoscentis, & deflentis amare*! . . . .

Peccavi! . . . . O grande peccatum nimis, etiam *in circumstantiis*, quia hominis *literati*, quia hominis *nobilis* peccatum fuit! . . Si peccat *homo rudis*, excusationem utcunque ali-

Digitized by Google

aliquam admittit ingenii cruditas nullis literis expolita: neque apta, ut exhibeat in se *voluntati* congruam imaginem Majestatis offensæ. Et si homo de plebe peccat, per fragilitatem sæpius, quam per petulantiam labitur, atque per externas potius tentationes, quam per internas cupiditates præcipitatus. Verum vir literatus aut nobilis ita fere differt ab homine de vulgo, sicut Angelus ab Adamo. Veniam Criminis *Adamus* obtinuit: *Angelus* non obtinuit, quippe quem *scientiæ* ac *nobilitatis* super hominem excellentia miseratione *indignum* fecit propter animi vitium pro tantis prærogativis *ingrati*. *O infelix excellentia*! quæ aliud nihil prodest, quam ut, qui peccator est, *major* peccator sit. . . . Peccavi! *Incipit Lamentatio animæ peccatum suum agnoscentis, & deflentis amare!* . . .

Et accedit huic circumstantiæ *a persona peccantis* hæc observatio, quod multi peccent, non modo *qui* literati, vel nobiles sunt, sed *quia* sunt, non peccaturi (loquendo de certis peccatorum generibus) si aut *nobiles*, aut *literati* non essent. Nunquid enim, qui nunc *per præpotentiam* subditos emungit, ac opprimit: *si non esset nobilis*, ipse gravissimum jugum ferens ad stivam sudaret? . . . Et qui *per summam licentiam* in omnem libidinem se impudenter effundens, alienæ pudicitiæ passim insidiatur: nunquid *pœnæ metu* compesce-

 retur

retur, nisi *nobilitas* impunitatem sponderet? . . Præterea, qui nunc *in vanissimæ ostentationis puerilem pompam ac alimentum*, corrumpit justitiam: exercet usuras: ambit officia, ad quæ non est natus: contrahit debita, quibus nunquam solvendis par erit: *si de plebe esset*, nunquid parcius viveret? . . . *Literati* autem, Eheu! quot scelerum se reos faciunt, quorum ne quidem scirent nomina, si *scientias* ignorarent! . . Simoniæ, Usuræ palliatæ, protractæ lites, præposteræ libidines, occultæ hæreses, lectiones & scriptiones librorum vel impudicorum, vel calumniantium, noxia consilia, ingeniosæ fraudes, & machinæ, non sunt *peccata rudium* . . . Sunt *nobilium*, sunt *literatorum*, beneficio sanguinis atque ingenii adversus Benefactorem Deum impiissime abutentium. . . Non potest *ingrati hominis* audacia horrenda in atrociorem Numinis contemptum surgere. . . Erravi! Surrexit, surgit, surget, quoties præter malitiam sibi propriam, caudam *scandali* post se trahit, per quod Deus *honorem*, Literatus aut Nobilis *auctoritatem*, Proximus *animam* perdit. *Peccavi* ! . . . *Incipit Lamentatio animæ peccatum suum agnoscentis, & deflentis amare* ! . . .

Blasphemare fecisti inimicos Domini, ajebat Davidi Nathan: nec enim erit peccatum tuum occultum diu. Et quid dicent homines, cum audierint? Mirabuntur, quod

qui

Digitized by Google

qui ejusmodi est, eum Deus in solio Israelitico toleret; atque *de Providentia* dubitabunt. Ita Deus amittet *honorem* . . . Tu vero qua fronte, qua efficacia deinceps inter subditos sive *in Ecclesia*, sive *in curia* observantiam divinæ legis urgebis, postquam per transgressionem ex Judice factus Reus amisisti *auctoritatem*? . . . Nihil efficies. *Exemplum* nocebit plus, quam *imperium* proderit. Plures *animæ* interibunt . . . Ista Nathan Davidi: similia nobis conscientia oggerit . . Nimirum inter peccata plebis, & peccata Nobilium ac Literatorum ingens discrimen est. Plebeii homines vel peccant *occulte*, quia nemo illis attendit: vel peccant *sine damno*, quia illorum exempla *vim trahendi* non habent; vel peccant, sed non *impune*. Brevius: Peccata plebis aut *non observantur*, aut *spernuntur*, aut *puniuntur*. Verum quoties vir Nobilis aut Literatus peccat, aliquis *Lucifer* peccat, secum casum stellarum trahens. . Peccata *talium* vix fallunt oculos vulgi ad observationem Majorum proni: & quamprimum illa vel per suspicionem verisimilem fiunt publica: fiunt *pestifera*, omnemque Communitatem inficiunt. . . Sunt *peccata*, ut ita loquar, canonizata, tanquam *Jovis* aut *Mercurii*, a quorum divinitate propriam sibi turpitudinem exuunt; *peccata*, quæ in omni tribunali *Patronos* semper, sæpe etiam *advocatos* inveniunt: *peccata*, quæ denique *abusus* in usum vertunt, quietumque sensim in Repu-

Digitized by Google

blica imperium obtinent, eo quod rarus Baptista sit, qui Herodi æque ac Herodis satelliti imperterrite dicat: *Non licet.* Horrenda peccata, quippe quæ præter malitiam communem complectuntur singularem ac propriam, eamque *geminam*, unam ab ingrato animo *personæ peccantis*: alteram ab effectis *ipsius peccati*, quod in homine nobili aut literato semper *caudatum* est. .

Ego tamen peccare potui ! & sic potui ! . . . Heu ! demonstrata est horrifica veritas : *Unus actus peccati talis digna est æterni doloris materia.* . . Rumpe costas pectus, & spatium dolori laxa ! *Peccavi* ! *Incipit lamentatio animæ peccatum suum agnoscentis, & deflentis amare* ! *Peccavi Domino* . . . Audite hoc cœli ! audi terra ! obstupescite Inferi ! *Peccavi Domino* ! & *ego* ! *ego sum ille vir*, qui per insanissimam audaciam contempsi Deum : & obedientiam exigenti cum execrabili protervia dixi : *Non serviam* ! . . . Heu ! Potuit hæc vox ex ore hominis *nobilis*, *ac literati* prodire ? Nec cœlum me fulminavit, terra sorbuit, Inferi rapuerunt ? . . . *Ego sum ille Vir*, qui per Dei gratiam a massa vulgi secretus, ipso privilegio, quod supra vulgus me extulit, abusus sum contra Dominum, cujus beneficium hæc secretio fuit ! . . *Ego sum ille Vir*, qui postquam electus sum, & studiis literarum admotus, ut essem *lux mundi* ; & *sal*

sal terræ : nunc sicut *sal infatuatum* per peccati infamiam pedibus conculcantium proteror : & per exempli pravitatem *sicut ignis fatuus* à Deo abduco , quos trahere ad Deum debuissem! . . . Tantum malorum ab uno malo , *ab uno actu peccati* venit . . . Vah! Quæ cæcitas infelicem animam tenuit ! . . O malum omni malo deterius , quam sero te cognovi ! quam sero te detestor ! . . . .

Incipit lamentatio animæ peccatum suum agnoscentis & deflentis amare ! . . . Convertere anima mea ! Convertere ad Dominum Deum tuum ! . . . *Actus peccati* actus *aversionis* fuit a Creatore ad creaturam : *Convertere* ad Dominum Deum tuum ! . . . . *Domine* ! Quis similis tibi ? Et ego *te contempto* obedire meo appetitui malui , quam tibi ! *Mea culpa* ! . . . *Domine DEUS* ! coram te curvantur , qui portant orbem ! Ego vero pingui cervice , & erecto collo contra Omnipotentem cucurri , similiter uti petulans jumentum contra stimulum calcitrans ! *Mea culpa* ! . . . *Domine Deus meus!* Omnia ossa mea dicunt mihi : *Deus meus tu es* ! Ego autem per calcatum decalogum digito tuo scriptum , persequebar fugitivas stultitias , & exultabam in rebus pessimis! *Mea maxima culpa* ! . . . *Dominus* est , cui non obedivi ! *Deus* est , quem contempsi ! *Dominus meus*! *Deus meus* , quem dere-

dereliqui, a fonte aquæ vivæ ad ciſternas diſſipatas *averſus*! . . . Anima fatua! ingrata! impia! . . . Usquequo inſenſibilis eris ad tantum malum, & tam amarum? Convertere! Convertere ad Dominum DEUM tuum! . . .

Equidem DD. Sodales, placet hic luctus Deo, & hæc lamenta iratum placant. Sed parcite vobis! Summum dolorem non *actus peccati* poſtulat: *Status* poſtulat, de quo ſit

PUNCTUM II.

Conſideratur ſtatus peccati.

1. POſtquam perſpeximus, quanto dolore digna ſit culpa *in actu peccati*, ſive ſubſtantiam actus, ſive *circumſtantias* intueamur: non erit difficile intelligere, in quam lacrymabili ſtatu verſetur, qui *in ſtatu peccati* eſt. . . Dicuntur autem illi in ſtatu peccati eſſe, qui 1. poſtquam peccarunt, *non ſtatim* per dolorem perfectum, aut legitimam confeſſionem *retractant* peccatum. 2. Qui cito quidem retractant peccatum, ſed cito etiam *relabuntur*, atque propter aſſiduos relapſus, *moraliter* cenſentur nunquam a peccato ceſſaſſe. 3. Qui ceſſant *ab actu*, ſed non *ab affectu* ad peccatum, quales *ordinarie* ſunt, qui *lucrum* ex peccato habent, aut quos ad peccandum egeſtatis, vel contemptus *impatientia* trahit. 4. Qui *in proximo peccandi periculo*,

culo, quod fugere possent, *temere persistunt*: aut, si fugere non possunt, necessarium consuetudini deponendæ *conatum* adhibere contemnunt. 5. Tandem, qui peccati quidem *comissionis* nullius sunt rei: *per habitum* tamen vivunt in perpetuis *omissionibus* obligationum officii sui, aut status, quas *sciunt*, & facile *advertunt*, etsi *singulæ* veniales sint, sæpe in mortale coalescere, sive *per intentionem in statu negligentiæ* perseverandi: *sive per collectionem & cumulum* omissionum, cum *officii neglectio* in grave damnum Reipublicæ, aut in grave detrimentum honoris Divini redundat. *Primo modo in statu peccati* per integrum annum vixit *David*, non citius de pœnitentia cogitans, quam Propheta admonuit. *Altero modo* peccavit *Saul* per odium erga Davidem, de quo quanquam interdum doluit, tamen continuo prosecutus est persecutionem, velut suæ pœnitentiæ pœnitens. *Tertio modo* peccant *fures*, qui deprehensi in periculo abjiciunt sarcinam post dumetum, non item animum resumendi, si persequentium industriam fefellerint: peccant *Thaides*, quæ ex prostitutione corporis vitam sustentant: peccant *milites*, qui punctum honoris sui in vindicta, & duellis constituunt, quidquid Evangelium reclamet. *Quarto modo rei* sunt, quotquot ab oculo, a manu, a pede suo *scandalum* patiuntur. Volo dicere, quibus aut *familiaritas*, aut *officium*, aut *Famulitium* oc-

Digitized by Google

casio ruinæ est. *Quinto modo* denique *in statu perpetui peccati mortalis* versantur *Parentes*, qui per diuturnam *conniventiam* (etsi in levibus excessibus) aut per bonæ educationis *incuriam* liberis suis januam aperiunt ad omnem licentiam. Versantur *Filii*, qui verbo, opere, ignavia, inobedientia, cruditate *graviter* parentes contristant, idque non per unum vel alterum, *sed per actus frequentatos* irreverentiæ, quorum licet *singuli* levem culpam non superent: *continuatio* tamen spem bonæ frugis evertit. Versantur *Advocati*, *Consiliarii*, *Judices*, vel officii sui obligationibus *impares*, vel in executione *lenti* cum litigantium damno: *Sacerdotes ac Parochi* de suis reditibus plus, quam de Ecclesia, & animabus solliciti; *Magistratus*, & quisquis præest, in abolendis abusibus, & bonarum legum urgenda observantia vel *improvidus*, vel *timidus*, vel *inefficax*. Atque ex horum numero, quos jam descripsi, si quis est nostrum, dico illi: *Amice! in statu inimicitiæ cum Deo es positus*, qui status *tristissimus* est, si scias: *infelicissimus*, si nescias: *horrendus*, si contemnas. Iterum ergo *incipit lamentatio animæ*: aperti sunt fontes lacrymarum, & *lacrymæ ejus in maxillis ejus*! . . .

2. Si *scis*, quod peccati mortalis sis reus, obsecro, fierine potest, ut *in hoc statu* vel semel *sincere* rideas, aut vel per *unam noctem* placi-

placide dormias? aut officio *pacate* fungaris? Non tibi quotidie, non in ſingula momenta ruens de Cœlo vox in aures clamat: *Reus es mortis*! &: *Deus eſt hoſtis tuus*? . . Heu! *Hoſtis Deus*! Quid triſtius dici poteſt? . . Excidiſti *gratia Dei*; infinita *jactura* eſt! incidiſti *in iram Dei*: lamentabilis *caſus* eſt! . . . Enim vero, vir bone, *experiris*, quod dico: & ego nunc ſcio, quare triſtis ſit anima tua, & quare conturbet te . . Hactenus mærorem vultus, rugas frontis, ominoſum ſilentium, fugam hominum *affectui hypocondriaco* tribuebamus: Nunc vero, cum in viſceribus peccatum alas, in promptu cauſa eſt, cur *melancholia* te torqueat . . . Conſcientia facit, ut peccatum tuum *contra te* ſit ſemper . . . Itaque diu, noctuque *hic aſpectus* cruciat tanquam ferocis furiæ, armatæ crudeli flagro in æternam carnificinam. Quocunque pergis, tecum eſt: & infelicem Cainum perſequitur . . . Vagus ille per orbem ambulat: nusquam peccatum abeſt . . . Uxorem ducit: triſtitia ancillatur . . . Delicias variat; nullæ ſapiunt. . . Gignit filios: nullus eſt Iſaac, nullus *Riſus* . . Ampliſſimam urbem condit: mens tamen anguſtiis premitur . . . Fit Princeps populi, verentur ſubditi, ad nutum obediunt: ſola Conſcientia reluctatur, & quo magis jubetur tacere, magis clamat: *Caine*! *Deus te odit*! *Deus odit*! . . Tonat de die: tremit animus: *Caine*! *fulmen immi-*

imminet! . . . Aureæ ſtellæ de nocte fulgent: monet animus: *non fulgent tibi*! *non tibi*! . . . Occurrit innocens filiolus: gemit animus: *utinam eſſes ſicut parvulus iſte*! . . . Latitudo dominii ſe oculis objicit: oggerit mens: *Quam diu hæc? & quid poſtea?* . . . Triſtiſſimos dies miſer in iſtis turbis agit, & noctes inſomnes pœnæ. . . Imo pœnis nec ſomnus vacat. Imago Abelis ſomniantem terrefacit, vindictam a Cœlo poſtulans . . . O vita miſera! & quo diuturnior, eo miſerior: Veriſſime *triſtis vita*, in qua delectat *nihil*: affligunt *omnia* hominis animum, *ſcientis*, ſe eſſe in ſtatu peccati gravis . . . Si autem in hoc ſtatu es, *quin ſcias* te eſſe: equidem erit vita *triſtis* minus: ſed multo *infelix* magis. . .

3. Infelicem voco, quia tua *ignorantia* neque *innocentem* te faciet, neque *pœnitentem*. Qui enim *prioribus quatuor modis* in ſtatu peccati ſunt, *oblivisci* fortaſſe ad tempus ſuæ conditionis infortunium poſſunt: *neſcire* non poſſunt . . . *Actus peccati* enim, ſicut explicavimus, poſitus eſt *a ſciente* ac *volente*: igitur, niſi *retractatio* ſimiliter *a ſciente*, ac *volente*, & quidem *efficaciter volente* poſita fuerit: *ignorare* homo non poteſt, quod *actus* peccati perſeveret *moraliter*, atque adeo tranſierit *in ſtatum* . . . Quodſi per alia diſtractus, non recordatur, in quo ſtatu ſit animus, peſſima,

ma *oblivio* est . . . Nemo enim ideo desinit esse reus, quia non recordatur, quod reus sit . . . Prædonem dormientem, cum minime periculi memor est, Ministri Justitiæ in carcerem rapiunt. . . Major difficultas cum illis est, qui *quinto modo*, hoc est, per *continuatas* sive commissiones, sive omissiones *mere veniales* peccant, quomodo versari possint *in statu peccati gravis*, cum nesciant, *quando* continuata multiplicatio levium compleat *malitiam gravem*. . . Certe *stante hac ignorantia* videtur stare non posse sive *advertentia*, sive *consensus plenus*, qualis ad peccatum *grave* requiritur ex eo capite, quia non potest esse *volita* malitia, quæ non est *cognita* . . . Hæc interroganti interrogando respondeo . . . Alis Oeconomum domi tuæ *bene gnarum*, quid *ex officio* tibi debeat: certe gnarus esse debet. . . Ille, ne molestus conservis sit: neque observat, quomodo quilibet suo munere fungatur: neque pigros ad opus urget: neque invigilat infidelibus: emergentia damna non prospicit: occasiones juste lucrandi negligit: debitoribus solutionem procrastinantibus connivet: denique *sibi* vivit, *incurius tui*. . . Tu mones hominem sæpius: non raro segnitiem increpas: minaris supplicium, si ignaviam rationibus tuis graviter obfuisse deprehenderis . . . Nihil obtines . . . Postremo intra triennium decies mille florenorum detrimentum œconomiæ tuæ *per hominis negli-*

negligentiam evenisse intelligis . . . Quæro, quid facis? . . . Non tu inertem œconomum mercede mulctas? non domo ejicis? non ad præstandum damnum obstringis, si potes? . . . Haud dubie: damnum enim, ais, & *cognitum*, & *volitum* fuit servo *pigro*, & villico *iniquo*, æque ac si dissipasset bona mea *positive*, ut *prodigus*. . . Atqui nulla designari hora, nulla dies potest, qua tibi *graviter* nocuisse miser dicatur: quo jure tam austerus es illi? . . Quid? Sit damnum *leve* ab omissionibus *singulis*, inquis: non est leve *a continuatis* .... Imo attende, quid dicas. Nam ego neque *inter continuatas* ullam video, quæ certo fuerit graviter noxia . . Nulla sit, ais: Quid tum? at ipsa *continuatio* graviter nocuit . . Hoc homo, cum suscepit officium, *ignorare* non potuit: hoc *cavere* debuit: reus est. . . . Recte judicasti . . . Et nempe ita est. *In peccatis omissionis*, etsi *advertentia* ad malitiam gravem *in singulis* sæpe absit: ideoque a nobis *determinate* non quælibet, sed illa sola, quæ *per se solam* opponitur præcepto gravi *affirmativo*, damnari ad interos possit: tamen, quod *continuatio omissionum levium* (uti & *commissionum* successive coalescentium *ad effectum* graviter prohibitum) exerceri *diu* possit sine *scientia* & *advertentia* ad gravem malitiam, non credo . . . *Facilius* excutitur cogitatio, & remorsus contemnitur, qnam fit in peccatis, quorum malitia *sensus*

ferit,

Digitized by Google

ſerit, hoc credo . . . Sed *hæc facilitas* obligationem *ſe inſpiciendi* non. aufert . . . *Inſpice te*! continuo, quod ſis in ſtatu peccati mortalis, citra dubium ſcies . . . Hoc ipſum *ſi omittis*, *ne ſcias*, ſtulte agis. Jam enim tua ignorantia culpabilis eſt, & ſicut *ſervo pigro*, & *villico iniquo* fatalis . . Plus dicam. Affectata, & voluntaria hæc ignorantia tantum abeſt, ut *innocentem* faciat: ut etiam faciat *impœnitentem*. . . Quis enim de pœnitentia cogitabit, qui ſtudioſe intellectum avertit, ne cogitet de peccato? . Itaque *qui eſt* in ſtatu peccati, & culpabiliter *neſcit* ſe eſſe (eo quod ſe nunquam examinet) eſt *in ſtatu*, in quo neceſſe eſt, ut pereat, *ſine remedio*, quandoquidem *innocens* eſſe non poteſt: *de pœnitentia* autem nec cogitationem admittit. . Euge! Non eſt hic ſtatus ſimilis illius, in quo ponitur homo, qui poſt commiſſum lethale crimen ſtatim *in amentiam* incidit: neque reſtituitur ſibi etiam ſub finem vitæ? Ah! *infelicior* ſtatus cogitari non poteſt . . .

4. Poteſt tamen cogitari *ſceleſtior*: & eſt illorum, qui in quam malo ſtatu ſint, *ſciunt*: & *contemnunt* conformiter ad oraculum: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*, Prov. 18. Sententia horrenda! Quis enim crederet, poſſe hominem & *a Fide*, & *a Ratione* adeo deſeri, ut nec Dei, nec ſui ratione habita, per plures ſæpe hebdomades, menſes, ac

annos

annos, ſciens & volens, *in ſtatu perpetui peccati mortalis* vivat *ſine horrore*? . . Tamen quot ac quantos ejusmodi peccatores omne ſæculum vidit! . . Heu! Quis, niſi *pœnitens*, oculos Regis ſubit, quem ſcit eſſe conſcium criminum adverſus graviſſimas regni leges a ſe commiſſorum? . . Et iſti *rei Deo*, in oculis Dei quotidie ludunt, rident, jocantur, negotiantur, quin de ſcelerum deprecatione vel voluntatem ſuſcipiant: tanta *reverentia Dei* eſt! . . Quaſi contra ſe nihil poſſet, aut vellet facere Omnipotens, ita æſtimant: tam nulla eſt *cura ſui*! . . Si *fidem* habent; qua fiducia tam diu ad marginem inferni ambulant, unde crepitum flammarum *audiunt*, & carnifices *vident* promptos ad nutum Nemeſis, ut temerarios ludiones in horrendam voraginem igneis catenis trahant? . . . Si *fidem* abjecerunt: qua vi *Rationi* obſiſtunt, evidenter convincenti, quod non ideo ceſſet infernus *eſſe*, quia ipſi ceſſarunt credere? . . . Sed cui ego bono ratiocinationes congero adverſum eos, qui *omnia argumenta* contemnunt: qui *monita amicorum* contemnunt: *preces familiarium* contemnunt: Exempla, & *authoritatem Majorum* contemnunt: *promiſſa Dei* invitantis, & *minas* iraſcentis contemnunt: pericula proxima *male moriendi* contemnunt: imo ultro *accerſunt* in mutuam cædem proruentes ad duella: committentes ſe longis, atque ad triſtiſſimos caſus expoſitis *itineribus*: pro-

provocantes adverſum ſe fluvios, ac maria: homines ac belluas: odia ac venena: inſidias & vim: morbos & mortem, dum ſe vel gladiis hoſtium *in bello*, vel iræ ac invidiæ inimicorum *in negotiis pacis* objiciunt... Sancti Cœlites, quam horrenda audacia eſt ſic viventium! quam horrendus *contemptus Dei* in tali contemptu ſui! Horror linguam ſtupefacit: animus a pavore tabeſcit! . . . .

5. O vere triſtis! infelix! horrendus ſtatus, *Status Peccati*! . . . in hoc ſtatu ſi ego aut ſum, aut fui: eheu! quis ſum? & quis fui? . . . *Incipit* iterum, nec jam ante finem vitæ finietur *Lamentatio animæ peccatum ſuum agnoſcentis, & deflentis amare*! . . Invade me *Dolor*! Quantus in corde Redemptoris mei vixiſti: tantus in meo vive! Statutum eſt, ex ſtatu peccati tranſire in ſtatum pœnitentiæ. . . . *Valete peccatores*, quibuscum infelix per viam perditionis ſtolide ambulavi! . . . Heu! *Erravi, ſicut ovis*, quia ibam, qua itur, non qua eundum eſt! *Salvete SS. Pœnitentes*! In veſtro Choro ſit mihi locus! veſtra veſtigia oſculor! exempla ſequor! & hoc in hora hac! in hoc loco! ſerviendum eſt Deo *cito*! . . Nam *volo ſalvare animam meam, quocunque labore conſtet*. . . . . Initium fiat a *confeſſione generali*, quam Deo facio.

Colloquium.

JUvet me DEUS, ut totus lamentum sim. . . JESU! triſtis fuit anima tua usque ad mortem propter peccata mea. Heu! quanti *doloris* materia fuerunt tibi! Ego autem frigeo! . Ah! tranſeat a me frigus hoc! . . Angelus, qui conſolatus eſt triſtitiam tuam, accendat meam! . . O malum peccati! o ſi te homines noſſent! *Actus peccati* eſt actus DEO ſumme contumelioſus, ſive in ſua ſubſtantia, ſive in ſuis circumſtantiis conſideretur: & *ego peccavi*! . . . *Status peccati* eſt ſtatus *triſtiſſimus*, ſi in hoc ſtatu te eſſe ſcias: *infeliciſſimus*, ſi neſcias: *horrendus*, ſi contemnas: & ego eheu! *quam diu* in hoc ſtatu vixi! O *vitæ præteritæ* ingens labes, ſi vel ſemel peccavi lethaliter! o vita omni morte horrenda magis, ſi in peccato hæſi! JESU! *dolor* emendet vitam: gratiam intenſi doloris dona. . . *Pater noſter.* Sedeamus.

Reflexio.

Spero, nos eſſe auditos. Mihi jam cor per oculos liqueſcens fluit. Cooperemur gratiæ. Magnus dolor *magna gratia eſt. Cooperemur gratiæ, & dolorem, pro quo oravimus, jam practice exerceamus. Dolor* cito *emendat vitam* præteritam, *& ſi* cum amore *conjunctus eſt, inſtar ignis agrum animæ*

ab

ab urticis & zizaniis momento purgat, facitque, ut cineres pro fimo sint, a quo terra huc usq; sterilis in spem frugum paratur, si pluviæ lacrymarum suis temporibus arentem rigent. . . . Interea prodibat Sacerdos ad aram, & Director loqui pergens dicebat: *Tempus Missæ tempus idoneum Exercitio doloris erit. . . Missa sacrificium* propitiatorium *est ex opere operato.* Dolentibus, *etiam erit ex opere operantis. Huic Sacrificio, cum* cruentum *erat, aderant duo genera hominum, fideles, & infideles. Hi cruciabant & irridebant Christum: quos imitantur, qui per garrulitatem & nugas Missam profanant. Illi* condolebant, & *percutientes pectora sua, revertebantur. Hos imitabimur: atque* animo *procul ab ara in angulum recedentes, cum Publicano,* confessionem generalem *peragemus Deo, ad incrementum doloris. Confiteri* Sacerdoti *semel, sufficit, si rite fiat.* Deo *utiliter confitemur quotidie. Confiteamur!* . .

EXERCITIUM Confessionis Generalis *Coram DEO* sub Missa.

Missam in tres partes dividimus, initium, medium, finem. Singulis singulæ partes annalium *vitæ nostræ respondent. Synopsin*

Digitized by Google

do, si dico Deo: Multa mala feci! *Pars I.* Parum boni! *Pars II.* Parum boni feci, & hoc ipsum parum bene! *Pars III.* . . . Initium *Sacrificii* Propitiatorii *JEsus fecit* in monte Oliveti: *Sacerdos facit* generaliter confitendo *peccata totius Ecclesiæ militantis contra carnem, mundum, & dæmonem.* Pars hujus Ecclesiæ sumus. *Jungamus voces corde contrito, & humiliato*: *dicamus*:

COnfiteor DEO Omnipotenti! Multa mala feci! Multa *Puer*! multa *Juvenis*! multa *Vir*! . . . Puer inobediens, mendax, & contumax quibus petulantiis Parentes meos, ac Magistros instar feri Ismaëlis afflixi! . . Juvenis eheu! annum ætatis decimum sextum *cum Augustino* deploro. *Scientiam* tunc magis, quam *conscientiam* curavi: Aristoteli & Ciceroni reverentius, quam Evangelio assurrexi: totum me in hoc studium, ut amarer, & amarem, effudi. Ita computrui coram oculis Dei: & excesserunt caput meum vepres libidinum: & nulla erat eradicans manus! . . Vir, qualis homo? . . qualis civis? . . qualis sum Christianus? . . In quo dissimilis sum illi Judici, qui nec Deum nec homines reverebatur, Luc. 18. Tabulæ Moysis sunt speculum, quod inspicere sine horrore non possum. I nunc, homo vane! & *lava manus*, tanquam si non invenires causam mortis JEsu in te. . . Ah! *Orate fratres* pro me! orate obse-

obſecro, ut Deus propitius ſit mihi peccatori! . . *Multa mala feci!* . . .

Medium *Sacrificii* Propitiatorii *fuit* Crucifixio Chriſti, *cujus memoriam Elevatio* ſacræ Hoſtiæ *renovat.* Surſum corda! *Filius Dei factus eſt obediens usque ad mortem: Sic DEUS dilexit!* . . . *Sic homo diligat!* . . . *Sic ego dilexi? Unde amorem probo?* . . *Ah!* . . .

Confiteor Deo Omnipotenti: Parum boni feci! Parum *Puer!* parum *Juvenis!* parum *Vir!* Puer præcepta *Grammaticæ* ſollicitius obſervavi, quam præcepta *Decalogi*: & ſolœciſmum plus horrui, quam peccatum mortale. . . Juvenis in otio, & nugis florem ætatis decoxi. . . Vir ſimilis ſum arbori præter folia nihil habenti. . . *Sub ſpeciebus panis* adoro Corpus JEſu! . . Anima Chriſti ſanctifica me: Corpus Chriſti ſalva me! . . *Sub ſpeciebus vini* adoro ſanguinem JEſu! Sanguis Chriſti inebria me! . . . Ingreſſus eſt *ſub ſpecies* Chriſtus, ſed non *ad ſpeciem.* . . . *Vere* propter me deſcendit de Cœlo: *vere* pro me immolatur. . . Ego autem honeſtate *externa* morum contentus, *vir bonus* videri magis, quam eſſe ſtudui. . . . Oravi ad ſpeciem: jejunavi ad ſpeciem: opera miſericordiæ exercui ad ſpeciem: *vere parum boni feci!* . . .

D 3 Fi-

Digitized by Google

Finis *Sacrificii* Propitiatorii *cum fine vitæ Christi coincidit. Mortem Christi* Communio *Sacerdotis repræsentat. Mors Christi gratias mihi meruit, quarum ope non solum bonum facere, sed bonum* bene, *atque* cum merito *facere possum. Feci? . . Ah! .*

Confiteor DEO Omnipotenti! Parum boni feci, & hoc ipsum parum bene! Parum bene *Puer!* Parum bene *Juvenis!* Parum bene *Vir!* . . . JEsus omnia *bene* fecit. . . Vitam JEsu *tria verba* comprehendunt: Oravit, Laboravit, Passus est. Omnia bene. . . . . Nam oravit *ferventer*: laboravit *libenter*: Passus est *fortiter*. . . Ego, in cujus animam toties JEsus ingreditur, quando tandem cessabo esse *Ego*? Quando JEsus vivet in me?. *Oravi*, sed irreverenter, & frigide: Domine, non sum dignus! . . *Laboravi*, sed invitus, & obiter: Domine, non sum dignus! . . *Passus sum*, sed muliebriter lamentans, & impatienter: Domine, non sum dignus, qui toties ex divina mensa *tam inutiliter* pascar. . . . *Dic verbo*, & sanabitur anima mea, anima languida languore miserabili! *Dic verbo!* . . verbo universum creasti: verbo me recrea: & deinceps totus a me alius, *nulla mala* faciam: *multum* boni: & illud omne *valde bene*. . . Sic fiat! o fiat, & ad hunc finem *benedicat* nos omnipotens DEUS Pater, & Filius & Spiritus Sanctus! . .

Con-

Digitized by Google

Consideratio
De rigore Pœnitentiæ.

M*Ulta mala feci! parum boni! & hoc ipsum parum bene!* Boni superi! talis vita, nunquid vita est Cœlo digna? . . talem tamen, si verum fateri volumus, plerique viximus. . . Ergo, *totum nihil valet: incipiamus ab initio, cito incipiamus!* . . Vitam *præteritam* emendat *Dolor*. . . Doloris fructus est *Spiritus Pœnitentiæ*. . . Pœnitentia est *initium* vitæ melioris. . . . Incipiamus *a Pœnitentia*. . . Pœnitentia nomen molestum est auribus delicatis. Quod enim Ambrosius de Regibus dixit: *Peccavit David, quod solent Reges, sed pœnitentiam egit David, quod non solent Reges:* dici de omnibus potest. . . *Peccant Sancti, quod solent homines: sed pœnitentiam agunt Sancti, quod non solent homines*. . . . Attamen, quod non solent, *debent*. . . . Locutum est oraculum sine ambagibus: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis!* Luc. 13. Sed pœnitentiæ nimirum (quod ab unguiculis docti sumus) *tres actus* sunt. *Dolorem* elicuimus: *Confessionem* sacerdoti vel fecimus, vel faciemus: minima apud plerosque cura est *satisfactionis*. . . Quas Confessarius præscripsit, preces persolvisse contenti, *de alia pœnitentia* vix cogitamus. . . . Hæc mala *incuria* est: hanc impugno. Ut expugnem, *consideratio*

juvabit de rigore pœnitentiæ proprio. . . Rigoris *modum* primum, *præceptum* expendemus deinde . . . Nolite terreri. Non petam plus, quam est necesse. Vos sapitis, si plus præstatis. *Sedeamus.*

Pars I.
Rigoris Modus.

1. OMni tempore in vere pœnitentibus magnus *amor rigoris* apparuit, varius tamen, nec semper eodem modo exercitus. *In veteri Testamento* pœnitentes imperaverunt sibi fletum, & planctum, & jejunium, & cineres, & cilicium, sicut de Davide, de Ninivitis, de Tyriis legimus. *In principio Ecclesiæ* scimus, quam severi Canones positi sint de pœnitentiis cum gravi molestia, & pudore subeundis. Illi tamen hodie exoleverunt, quia sicut persecutionum tempore hæc severitas *Christianos* continebat in officio, ne a fide deficerent: ita post pacem in Ecclesia factam deterrebat, ne fidem susciperent. Nunc, postquam disciplinæ rigor ita mitigatus est, ut præter censuras, quas nemo nisi *per contumaciam* incurrit: & præter opera pœnalia, quorum *extra Monasteria* vix aliquis usus est: tandem aliud nihil, nisi quædam jejunii species, & nonnullus usus Eleemosynarum superfit: necesse est, nos esse contentos, si saltem salva sit *essentia*, & pœnitentia non omni-

Digitized by Google

omnino *ſine pœna* ſit, atque præter vacuam vocem nihil, tanquam Chriſtus, cum *pœnitentiæ Sacramentum* inſtituit, *virtutem pœnitentiæ* veluti ſuperfluam eliminaſſet. Eſt igitur rigoris neceſſarii *Modus* ex ipſa *Sacramenti*, & *virtutis* natura determinandus, ne mollis quidam Sybarita ſe ab obligatione excipiat, quod in hoc tam delicato dicam, an effeminato ſæculo, præcipue Nobiles, ſolent, quoties *rigorem* ſuademus, qui *conſilii* eſt, ſive ſupererogatorius, aut (latinius) *liber*, neque pœnitentiæ præcepto *intrinſecus*.

2. Determino geminum, & dico: Rigor ad veram pœnitentiam & *ſufficiens*, & *neceſſarius* alius eſt in Sacramento, alius extra Sacramentum. *In Sacramento* requiritur *rigida accuſatio ſui coram legitimo ſacerdote*, hoc eſt, accuſatio poſt ſedulum Examen ſine diſſimulatione, ſine excuſatione, æque circa numerum, ac circa ſpecies peccatorum. *Sacrilege* ſibi, ſuoque pudori parcit, qui vel tacet peccatum grave, vel ſpeciem non exprimit, vel minuit numerum, vel ita narrat factum, ut ex modo narrandi ſacer Judex deceptus id, quod per ſe crimen lethale eſt, veniale, aut nullum eſſe exiſtimet, propter plenæ advertentiæ, aut conſenſus defectum. Sunt enim, qui Manichæos imitantur. Illi, quidquid ſceleris patrabant, negabant, ſua culpa contigiſſe. Erant *Electi Sæculi*, ut Auguſtinus loquitur, & vocabant ſe *impeccabiles*,

biles, quod dicerent, non se peccare, sed se invitis, suam in se *peccare naturam*, incitatam *ab astris*, atque adeo in se jam adulterium committi *a Venere*, jam homicidium *a Marte*, jam furtum *a Mercurio*. Similiter agunt, qui ut se excusent, semper excusant aut suam *naturam*, aut *diabolum*, quasi non ex hoc ipso capite rei essent, quod sive *naturæ*, sive *diabolo* non restiterint. Modus ergo rigoris, quem Deus *intra Sacramentum* requirit, est rigida accusatio sui... Verum hæc accusatio *actus* est: *extra Sacramentum* autem etiam requiritur *habitus*, per quem peccator dicitur vivere *in statu pœnitentiæ*. Sicut enim *actus* & *status peccati*: ita *actus* & *status pœnitentiæ* differunt.

3. Porro *status pœnitentiæ* dicitur *stabile genus vitæ pœnitenti conveniens*, adeoque *status luctus*, status *rigoris*. Talis illorum fuit, qui primis sæculis per septem, decem, quindecim annos, antequam ad sacram synaxin admittebantur, debebant *publicam* pœnitentiam *in quatuor stationibus* successive peragere. Prima statio erat *flentium*, qui saccis induti, ad fores templi preces ingredientium cum lacrymis implorabant. Altera fuit *audientium*, quibus licebat cum catechumenis ad vestibulum templi consistere, sic tamen, ut post Evangelium discederent. In tertia statione concedebatur pœnitentibus, ut usque ad offertorium manerent. Tum vero *prostrati* debebant a Sacerdotibus

cum

Digitized by Google

cum manuum impositione post dictatam pœnam benedictionem expetere. Ad quartam tandem pertinebant *consistentes*: quibus concessum erat toti Missæ assistere, non tamen ad mensam Eucharisticam accedere, donec statutum tempus in profundo luctu, puta, in multis precibus, in perpetuis jejuniis, in longis vigiliis, in chameuniis, hoc est, humi dormientes, & a nuptiis, a conviviis, a balneis, ab omni genere deliciarum abstinentes exegissent. Tantum rigorem, quod supra monui, pia Mater Ecclesia filiorum imbecillitatem miserata sustulit: atque ut obligationem ejusmodi pœnas subeundi per indulgentias redimere possemus, concessit.

4. Verum quid? Si vera est quorundam Theologorum sententia, sic docentium, si mentem virorum bene inspexi? Per hoc, *ajunt*: quod Ecclesia onus publicæ *satisfactionis sibi præstandæ remiserit*: *DEUS non abdicavit se jure suo exigendi satisfactionem pro se: & decipiuntur, qui credunt*: obligationem pœnitentiæ *per indulgentias tolli, æque ac si crederent*, onus confitendi *per easdem auferri. Indulgentiarum intentio ac vis in eo consistit, non ut per absolutionem a pœnis nostra alatur mollities: aut ex facilitate remedii crescat peccandi audacia: sed ut* defectus virium *suppleatur: atque per satisfactiones Sanctorum a Christi meritis, ut loquimur, dignificatas addatur solutionis* pars

illa

Digitized by Google

illa, *quam* moraliter *impossibile est*, *ut nos præstemus. Unde in omni indulgentia imbibita est hæc conditio, profuturam*, si satisfeceris, quantum est in te. *Tu igitur pro abolendis pœnis Deo debitis facere debes, quod* moraliter *potes: & Ecclesia per indulgentias faciet, quod tu non potes. Hæc est doctrina verioris Theologiæ de indulgentiis, conformiter ad mentem Tridentini, quod etsi hæc duo definiverit, 1. esse in Ecclesia potestatem indulgentias impertiendi. 2. Illarum usum esse salutarem: non tamen omisit monere nos de necessitate satisfactionis* personalis *Sess.14. c. 2. ubi sic habet*: Ad remissionem plenam & integram peccatorum sine magnis fletibus nostris, & labore pervenire nequaquam possumus. *Quis non videt hic propositionem contradictoriam, dicentem*: ad remissionem plenam & integram peccatorum facile possumus pervenire, *puta, per plenariam indulgentiam: salva auctoritate Concilii sustineri non posse? Scilicet Indulgentia est gratia, quam dari indignis ac* male dispositis *neque Christus vult, neque Ecclesia. Non est autem dignus beneficio* debitor, *ut pro illo Respublica* ex publico ærario *solvat* totum, *quando ipse* partem *solvere* per vires *potest*, per inertiam *autem non vult. Propterea neque* Paulus 2.*Cor.*2. *Indulgentiam incestuoso concessit, nisi post longum luctum: Neque* prima Ecclesia *ad preces Martyrum pœnas reis condonavit nisi diuturna pœnitentia jam maceratis: neque*

ullus

Digitized by Google

ullus Pontifex *gratiam indulgentiæ concessit Personæ aut Provinciæ particulari, nisi*, sub conditione operum pœnalium *saltem aliquorum, ut doceremur*, ex Ecclesiæ sensu *obligationem pœnitentiæ per indulgentiam non tolli, sed alleviari. Quin & hodie, cum idulgentiæ universales promulgantur, semper bulla hanc clausulam habet* : vere pœnitentibus, *quæ intelligi non potest de sola confessione, cum per se constet, pœnam condonari non posse, nisi a culpa absolutis: sed (sicut Cardinalis Cajetanus interpretatur) explicari debet de illis, qui per congruam satisfactionem* personalem *se disposuerunt, ut per indulgentiam* supplementum solutionis *acciperent, cui* se solis *pares non essent. Illam qui renuunt, nec saltem* in voto *habent, cum* in re (*uti apud moribundos*) *habere non possunt, Indulgentiam non lucrantur ex* dispositionis *defectu. Atque ita* utilitas *indulgentiarum cum pœnitentiæ* necessitate *contra criminationes Lutheri utramque negantis conciliatur.* Videatur Tournelli, Amort, Antoine, & alii de hac materia. Si, inquam, hæc doctrina vera est, quid tuam mollitiem indulgentiæ juvabunt, ad quas te nunquam disponis?

5. Sequitur, post sublatum rigorem Canonicum, alium *Rigoris modum* statuendum esse, quem qui teneant, dici possint esse in *statu pœnitentiæ*, sive *vivere stabile genus vitæ pœnitentibus conveniens.* Quem autem

sta-

ſtatuemus? Ajo: Modum rigoris non exigi ab omnibus, nec ſufficere omnibus *eundem*: Requiri ætati, ſexui, viribus, conditioni, officio *moraliter* compoſſibilem: & peccatorum quantitati, qualitati, ac durationi cum congrua proportione correſpondentem. *Sancti* omne Exercitium, & *fructus dignos pœnitentiæ* a S. Joanne Baptiſta Luc. 3. poſtulatos *duobus verbis* complexi ſunt: *Suſtine*! & *abſtine*! Itaque incommoda tempeſtatis, dolores corporis, labores officii, moleſtias ab hominibus, infortunia immittente, aut permittente DEO te prementia, in ſpiritu pœnitentiæ *ſuſtine*: & dic: *Acerbiora merui*! . . . Jejunia item, & ſi quas alias pœnas ſive Confeſſarius, ſive Eccleſia præſcribit, *ſuſtine*, neque facile *exemptionem* admitte. . . Adde his (ſi vere teipſum tanquam peccati auctorem odiſti) afflictiones voluntarias, & a teipſo, quod cruciet, *ſuſtine*, veluti Juſtitiæ divinæ contra te Executor. . *Abſtine* præterea (nam ſolemus per tres gradus ad peccatum ire, a bonis hujus vitæ *neceſſariis* tranſeuntes ad appetenda *commoda*, a commodis ad *ſuperflua*, a ſuperfluis ad *prohibita*) per pœnitentiam ad Deum rediens, abſtine *a deliciis*: & *prohibitas* damna, *ſuperfluas* fuge, *commodis* parce utere, *neceſſariis* contentus vive . . . Adjunge his (quæ eſt anima pœnitentiæ) frequentem repetitionem *doloris interni* ad exemplum Davidis

per

Digitized by Google

per ſingulas noctes uberrimis, atque amariſſimis lacrymis *in ſpiritu compunctionis* lavantis lectum ſuum, Pſ. 6. Ita tenebis *genus vitæ* pœnitenti conveniens, *& modum rigoris* habebis, qualem ut habeas vel *in re*, vel certe *in ſerio voto*, non datur optio tibi: *neceſſitas* urget. . . Neceſſitatem ex præcepto demonſtro, quæ eſt conſiderationis

Pars II.

Præceptum Rigoris.

1. SUperſedeo dicere de præcepto Rigoris, qualem *intra Sacramentum* deſcripſi, quia illius *neceſſitas* viro Catholico ignota eſſe non poteſt, poſtquam ſacrilegam fore confeſſionem, quam *rigidum Examen* non præcederet, & *rigida accuſatio* non comitaretur, Concilium Tridentinum definivit. Solum præceptum rigoris *extra Sacramentum* demonſtrandum eſt propter illos, qui inter *virtutem* pœnitentiæ & *Sacramentum* non diſtinguentes, totum ſalutis negotium ſe confeciſſe exiſtimant, ſi rite confeſſi ſunt. Error eſt, quem *ex fide & ratione* confuto.

2. *Ex fide* conſtat, quod per omne peccatum DEO fiat *injuria*: atque adeo accipit Deus *jus* ſatisfactionem exigendi a peccatore: & quoniam juri activo paſſivum ſemper reſpondet, neceſſe eſt, ut ex jure Dei naſcatur *obligatio ſatisfaciendi* in reo, & quidem

in

Digitized by Google

in eo rigore, quem Judex taxaverit, idque *tam diu*, donec ſatisfactum ſit *taxæ*, niſi aliunde Deum ceſſiſſe ſuo jure probari poſſit. *Satisfacere* ſi nolis, debebis *ſatispati*, & iratus Dominus te tradet tortoribus, *quoadusque reddes univerſum debitum*, Matth. 10. Ecce hoc *fides* docet. Ne vero dicas una cum reatu culpæ etiam *totum* reatum pœnæ ſemper dimitti propter ſatisfactiones Chriſti in Sacramento applicatas, & propter pœnitentiam a Sacerdote impoſitam, quantumvis levem: *fides eadem* docet, exiſtere *purgatorium*, & indulgentiarum uſum *ſalubrem* eſſe. Hinc, quam ſit falſa opinio tua, evidenter concludis. Si enim vera eſſet, nihil foret, quod ignis ureret: nihil, quod per indulgentias remitteretur. Eſt igitur debitum tuum *ex fide* liquidum, præceptum clarum. Placuit Deo, ut Sacramentum Pœnitentiæ non, ſicut baptiſmus, reatum culpæ ac pœnæ ſimul deleret, quæ cauſa eſt, cur illud Patres, quod ſupra monui, *baptiſmum laborioſum* vocarint.

3. Fidei motiva credibilitatis *a Ratione* accedunt ex Perſona offenſa, ex Perſona offendente, ex ipſius offenſæ natura . . . *Facilitas veniæ* quis neſcit, quam vilem petulantibus ſubditis reddat Majeſtatem *Offenſi*? . . . Profecto nunc etiam plerique homines *mali* ſunt, quia *patiens* Deus, & *bonus* eſt: quid fieret, ſi eſſet ſine omni pœna placabilis,

Digitized by Google

bilis? Itaque quoties ad prædicandam pœnitentiam Prophetæ ſunt miſſi: ut, qui eſt Dei, Deo redderetur honor per peccatum læſus, non ad frigidam pœnitentiam, ſed ad planctum, ad jejunia, ad cilicia, ad cineres, ad gravem luctum hortabantur: quippe certi *de mente Dei*, & de reſtituenda reverentia anxii.... Deinde (ut a Perſona offenſa *ad offendentem* veniamus) nunquid, *qui offendit*, ſi *pœnitens* recipi in gratiam cupit, *tenetur* promittere pœnitentiam *ſtabilem*? Et qui tenetur *finem* velle, nunquid ut velit *media* quoque ad finem *neceſſaria*, obligatur?... Atqui inter hæc media *rigorem* numero, qui ſi *poſt lapſum* non adhibetur, non longe aberis *a relapſu*. Stabilem pœnitentiam *in pœnitente molli* nunquam vidimus... Ratio eſt, quia radix pœnitentiæ (ſive *amor*, ſive *timor Dei* fuerit) niſi fructum ferat: ſignum eſt, quod *profunde* in cor non deſcenderit: unde facillime contingit, ut exareſcat.... Ipſa præterea *offenſæ* natura ſæpe ejusmodi eſt, ut non unam tantum, ſed *triplicem* ſatisfactionem rigidiſſime poſtulet...

4. *Offenſus eſt Deus*. Non ſufficit tolli *offenſam*, niſi tollatur etiam offenſæ *cauſa* vel occaſio proxima. Pruritus ludendi in blasphemias, & perjuria te ſolet impellere: damnare *luſum* debes. Converſatio in amores illicitos traxit: fugere *familiaritatem* debes. Luxus gravibus debitis familiam onе-

ravit: moderari pompam, & *vitæ methodum* debes. Ita lex pœnitentiæ exigit. . . *Offensus est proximus.* Non sufficit confiteri injuriam, nisi reparatio damni fiat sive in corpore, sive in bonis famæ, sive in bonis fortunæ illati. Non possum! ais. Vide, ne decipias te. Nam aliud est: *non possum!* Aliud: *non facile possum!* . . . Sit difficultas: velis, nolis, superanda est: ita lex pœnitentiæ exigit . . . *Offensa est communitas.* Non sufficit publica susceptio Sacramentorum, ut *scandalum* aboleatur. Necessaria est publica immutatio *in modo vivendi*, per quem data est causa offensæ. . . Scandalum enim peccatum est contrarium *charitati*: igitur etiam libera *continuatio* scandali peccatum erit, non cessaturum, donec *causa* cessaverit . . . Quodsi de peccatis *Omissionum* es reus: cæcus es, nisi videas, satisfactionem fieri per nullam confessionem, per nullas indulgentias posse: totam *in emendatione* consistere: ut, quod per incuriam, aut otium peccasti, per multiplicatos labores resarcias. Ita lex pœnitentiæ exigit. . .

5. Adde teipsum, bone vir! nam tibi quoque si peccasti, sicut *amorem* Ratio, ita *satisfactionem* pœnitentia imperat. *Pro culpa* imperat, ut sis *securus* de venia per doloris *sinceritatem*, cujus nullum est signum, si nulla est pœna. *Pro pœna* imperat, ut *Justitiæ severioris* judicio te subtrahas, quod

non

Digitized by Google

non fiet, nisi ultro te punias, postquam summa miseratio Judicis optionem fecit, *utrum a se plecti, an a teipso* puniri velis. Hic ego sicut supra errorem *nimis* confidentium in indulgentiis confutavi: ita non possum non damnare stultitiam aliorum, qui *satispati* malunt, quam *satisfacere*: palamque fatentur, *in purgatorium* se hanc pœnitentiæ partem differre. Homines temerarii! Nescitis, quid eligatis. Geminum enim *Purgatorium* datur, unum post mortem, alterum in hac vita. *Illud* omni pœnarum acerbitate horrendum fierine potest, ut in deliberationem electionis ab homine sapiente vocetur? *Hoc*, etsi minoribus tormentis obnoxium sit: animas tamen tot periculis salutis objicit, ut inferni vestibulum rectius, quam *Purgatorium Justorum* appelles . . . *Post mortem* Deus animas punit *ut Judex*: pœnamque infert *cum respectu ad odium*, quo peccatum persequitur: & *cum attentione proportionis* ad quantitatem, qualitatem, durationemque flagitii. Væ tibi! si per inertiam tunc *plecti* potius tua crimina, quam *plectere* nunc elegeris . . . *In hac vita* si pœnam a Deo expectas, illa vel *sensus*, vel *damni* erit. *Pœnam sensus* paucissimi ita patienter ferunt, ut cum latrone dicentes: *digna factis recipimus!* per animi æquitatem remissionem omnium pœnarum sine mora obtineant. Periculum est apud Pœnitentiæ osores (si ægre sibi facere non audent) peri-

Digitized by Google

culum, inquam, eſt, ne per ærumnarum impatientiam ex reis purgatorii *rei inferni* fiant. . . . Quodſi Deus non *ſenſum* affligat, ſed *pœnam damni* (quod fere ſolet erga tepidos pœnitentes) inferat *per ſubtractionem gratiarum abundantium*, quas nemini debet: atque illis minime, a quibus offenſus nullam ſatisfactionem *ſpontaneam* accipit: prope abſum, ut deſperem de ſalute ejusmodi Puſionum, qui per fugam *ultronei Rigoris*, ex cauſa *civili* facientes *criminalem* luere *in cute* malunt, quod ſolvere *in ære* poterant. .

6. Nos, ſi a nobis impetrare non poſſumus, ut mereamur laudem Manaſſis, de quo 2. Par. 33. Scriptura dicit: *Egit pœnitentiam valde*: Saltem eo nobiſcum rigore agamus, cujus *modum* explicavi: & quem eſſe *neceſſarium* ex fide, ac ratione monſtravi, *ut agamus pœnitentiam recte* . . . Non poteſt pœnitentia *ſterilis* aut *Deum* placare, aut *conſcientiam*. . . . *Ex fructibus* cognoſcetur, an viva ſit . . . Fructus *converſio* eſt, ſive *mutatio vitæ*, hoc eſt, mutatio *opinionum*, mutatio *affectionum*, mutatio *morum*: ita, ut garrulitati ſuccedat ſolitudo, pigritiæ diligentia, otio labor, luxui modeſtia, gulæ inedia, luſibus lectio, libidini fuga, rapinis eleemoſyna, odiis charitas. *Hæc eſt mutatio dextræ Excelſi* Pſ. 76. . . . . *Mutatio*, ſine qua nunquam fit *vera converſio*, & ſu-

ſpecta

ſpecta eſt omnis contritio . . . Ingemiſcitis? Signum eſt cordis nondum vere mutati . . . Tanta mutatio fieri *ſine multa mortificatione* non poteſt : fateor : propterea *rigorem* exegi . . . Et repeto: Pœnitentia *ſine pæna* pœnitentiæ ſimulacrum eſt, non pœnitentia . . . Homo peccator reus eſt *mortis* : & tu *a mortificatione* abſolves ? . . . Abſit! *Poteſtate vicaria* ſupremi Judicis eja! utere adverſum te : *rigide* age. . . Scis, quod *Judex inferior*, & delegatus *jus damnandi* quidem ex legum regula habeat : *jus aggratiandi* autem non habeat. Itaque ſi vis Deo *cum fiducia* dicere : *Domine! propitius eſto mihi!* Oro te : *noli propitius eſſe tibi* . . . Vita mollis non eſt vita pœnitentis. . . Pœnitentiam *amor rigoris* probat! . . .

7. *Jam ite domum*, Domini *mei!* *Sed* in ſpiritu compunctionis *ite. Dies iſta* dies doloris *eſt. Dolorem alet ruminatio eorum, quæ de* actu, *&* ſtatu *peccati audiſtis. Recogitate annos veſtros in amara amaritudine animæ veſtræ, donec hora moneat, ut redeatis . . . Redibitis autem hora 2da, & redibitis cum propoſito emendandi vitam* præteritam, *& hoc* cito. . . *Convictis de hac veritate*: Multa mala feci : parum boni : & hoc ipſum parum bene! *non erit difficilis hæc reſolutio* : Totum nihil valet : incipiamus ab initio! ***Hodie incipiemus.***

Dissertatio
De vita molli.

Hodie incipiemus! *Quid incipiemus*? vitam novam. *Sic enim finivimus Exercitia Matutina, nausea* de vita præterita *pleni, dicentes*: totum nihil valet: incipiamus ab initio! . . . *Sæpe hoc ipsum decrevimus*: factum est nihil. . . *Quis impedivit? Acedia impedivit, inimica* contentionis *necessariæ ad cælum: inimica pænitentiæ & laboris: mater* vitæ mollis: *amica nugarum, & otii: una omnis stultitiæ, omnisque inertiæ radix, ex qua pullulavit* fastidium *in repellendis tentationibus, &* pusillanimitas *in superandis difficultatibus: unde factum est*, ut multa mala fecerimus, parum boni, & hoc ipsum parum bene. *Imo hodie mane, etsi non dubito, quin ea, quæ* de peccato *meditati sumus*, innocentes *horrore*, reos *dolore vehementer concusserint* (Actus *enim æque ac* status peccati *digna omni abominatione materia sunt*) *tamen quæ* de rigore pœnitentiæ *consideravimus, num similiter omnes probaverint, habeo argumenta, cur ambigam*. . . . Rigor *austerum vocabulum est, quod delicatas aures offendit; & doctrina* de pœnitentia externa *conjungenda internæ modum vitæ condemnat, quem Nobiles ac Literati passim tenent*, mollem *in otio ac deliciis*,

cum

cum fuga laborum, & fastidio devotionis. . . Domini! Quid simile si reperitis in cordibus vestris cum affectione ad nugas, & *aversione* a seriis: *certi estote*: Acedia *nidulatur in anima . . . Itaque nihil refert, seu placuerim, seu non*: doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me *Joan.7. Est doctrina D.N. J C. qui* vitæ molli *exemplo suo per totam vitam contradixit*, factis *magis, quam* verbis *clamans*: Contendite intrare! *Angusta est porta: via difficilis: necessarius labor! . . . Concludite ex his principiis*, an vita mollis sit vita innocens, & *cum spe Cæli componi queat. . . Ego in hac* innocentia *multam materiam* pœnitentiæ *video . . Examinemus: & intelligetis, quæ de necessitate rigoris dixi*: *esse* in omni Rigore *vera. . Certe, qui vivit* vitam mollem, *qualem* acedia *suadet, neque* est *servus Dei, neque* erit. *Utrumque demonstro.* Sedeamus.

Pars I.

Qui molliter vivit, non est Servus DEI.

1. *SErvus piger non salvatur: ego sum servus piger: ergo non salvabor!* dicebam heri, & rogabam vos, ut quisque inspiciens se interroget serio: *An possit negare Minorem.* Hodie doceo, *quis sit servus piger*,

nempe qui *ex Acediæ consilio* vitam mollem vivit. Nego, talem *Servis Dei* posse adnumerari, quippe ex cujus judicio servus *piger* & *nullus*, idem sunt. . . Intelligo autem nomine *vitæ mollis* non vitam, qualem vivunt, qui *deliciis probibitis* inhiant: Neque enim de his *quæstio* esse potest, an sint *Servi Dei* . . . . Paulus eos *inimicos Crucis Christi* appellat, quorum Deus venter est. Phil. 3. . . . Sed neque de illis loquor, qui congrue ad *statum*, ac *labores* suos *quandoque* recreationes *honestas* admittunt. Relaxari ab intensione *animus*, & respirare a fatigatione *corpus* suis temporibus postulat: imo *virtus Eutrapeliæ* ipsis adeo Religiosis præscribit: modo utantur hoc mundo, & bonis hujus mundi, quasi non uterentur, hoc est, ita, ut *affectio* ad illa non sit nimis *fervens* : & *usus* non nimis *frequens* . . . De illis est sermo mihi, qui *toto affectu in delicias*, etsi *per se* non illicitas, rapiuntur cum aversione *a seriis*: quorum omnis pæne *occupatio* est edere, bibere, ludere, conversari, saltare, garrire, canere, venari, otiari, dormire: qui fere perpetua vivunt Bacchanalia: qui negotia *seria* suscipiunt *raro*, & peragunt *obiter*, aut non nisi *per alios*, semper ab alia ad aliam recreationem (*diversionem* ipsi vocant, licet semper *in diverticulis*, & nunquam *in via* sint) festinantes. De his nego, quod *servi Dei sint*. Audiar. . .

2. Ho-

2. Homo, ficut *a Deo*, ita *propter Deum* creatus eſt: & quia illum Deus ex carne ſpirituque compoſuit: neceſſe eſt, ut *utramque ſubſtantiam* huic fini impendat: viresque & animi, & corporis divino famulatui conſecret, ex primo, maximoque præcepto: *Diliges ex tota anima, & ex omnibus viribus*... Quid facit *homo mollis*? Deone, an ſibi vivit?... Tres numeramus claſſes ſervorum Dei. Alii animam & vires ſoli *contemplationi*, alii ſoli *actioni*, alii vitæ ex utraque *mixtæ* impendunt... *Contemplativos* dicimus, qui *cum Magdalena* ad pedes Domini quiete conſidentes, unice *in admiratione*, atque *amore* rerum divinarum ſe occupant... Orant, meditantur, legunt, pſallunt, ſcribunt Magnalia Dei... Etiam cum *manibus* laborant, *mens* in Cœlo eſt: & cum edunt, bibunt, dormiunt: *cor* Deo adhæret.... Talis eſt vita Carthuſianorum, talis Camaldulenſium, talis plerarumque Monialium: vita *ex ſpiritu fundationis* Angelicæ æmula, agenda in ſancto otio ac beata ſolitudine, ad qualem Deus vocat animas ſibi ſingulariter charas: neque tamen ad laborem *bono communi* utilem (ſi ſtudium precum & virtutis cultum excipias) *neceſſarias*. Hæc prima eſt ſpecies ſervorum Dei.. Ad alteram pertinent, quorum pars vitæ potior (a qua denominatio fit) *in actione* verſatur... Horum eſt laborare pro Deo, atque ejuſmodi negotiis fere unice operam

Digitized by Google

impendere, quæ *immediate*, & *ex sua natura* ad Dei cultum, aut animarum salutem ordinantur . . . Talis fuit *vocatio* Apostolorum: & est hodie illorum, qui congrue ad gratiam vocationis suæ ac instituti, quod profitentur, prædicationi Verbi Divini, & Sacramentorum administrationi sic vacant, ut etiam contemplationis exercitamenta, ac privatas devotiones non ad suum modo, sed etiam ad aliorum profectum dirigant, minime contenti, si *salvi* fiant ipsi, nisi etiam *Salvatores* sint aliorum, non sine comitatu ingressuri in gaudium Domini sui. . . Sequitur tertia Classis illorum, qui vivunt vitam ex contemplatione, & actione mixtam, qualis est status in sæculo degentium, & jam *Deo* per *Religionis* exercitia, jam *homini* propter Deum servientium pro modo conditionis, ætatis, sexus, status, ac officii cuilibet proprii. . . Habetis omne genus servorum Dei. Quæro, in qua classe homines vitæ mollis amantes collocatis? . . .

3. *Non offendere Deum*, nondum est servire Deo. Aut, si quot sunt homines, qui me non offendunt, tot sunt servi mei: multas servorum Myriades etiam ex principibus numerabo. Servire mihi dicitur, qui & *cavet offensam*: & suas vires *ad mihi obsequendum* impendit. . . . Jam vitæ mollis *amator* quid facit? . . . Non offendit Deum, dum convivatur, dum ludit, dum dormit.

De-

Demûs hoc: & quod vita mollis non ſit *vita flagitioſa*: imo quod ſit *vita innocens*, permittamus interea: nego, quod *homo delicioſus* aut corpus, aut animam, Deo, pro Deo, vel propter Deum adhibeat . . . Aut age! quando tandem *Dei cauſa* (nam quid *ſui cauſa* faciat, aut patiatur, non quærimus) quando ille *Dei cauſa* fatigat *pedem*? quando *manum* operi applicat? *oculos* & *aures*, *memoriam* & *intellectum* quando acuit, ut Dei de ſe voluntatem cognoſcat? . . *Vigilat* interdum: ſed pro lite feliciter tranſigenda ad familiæ honorem. *Sudat*: ſed in venatione damarum: *Eſurit*: ſed ex arbitrio Medici: *Laborat*, & quidquid pro *ſe* eſt, agit *per ſe*: ſed quæ *ad Deum* pertinent, *per alios* facit . . Euge! ex quo titulo tu talem ſervis Dei adnumeras? . . .

4. Orat *aliquando*: ſed orat, nec *devote*, nec *diu*. Labiis honorat Deum: cor ad epulas, ad muſicam, ad luſum, ad ſylvam, ad ſomnum feſtinat. Dices: eum ad claſſem *Contemplantium* pertinere? . . Fortaſſe *in vitæ activæ* negotiis *propter Deum* ſe occupat, ſi non immediate *pro Deo*? Dicat ipſe, qua fronte *pro Deo*, vel *propter Deum* occupari ſe jactet, qui ſeria obiter agit & *ad ſpeciem*: cætera *totos dies* conſumit *in nugis*? . . Vita noſtra *liber* eſt, ex quo olim judicabimur, tanquam *ex ſerie annalium* noſtri famulatus . . Librum componunt vocales, conſonantes, & inter-

interpunctiones. . . *Vocales* sunt actiones *ex sua natura* sanctæ. . . *Consonantes* sunt actiones seriæ *per bonam intentionem*, ut sic loquar, canonizatæ. . . Recreationes nomine *interpunctionum* appello, congrue ad tritum diverbium: *Interpone tuis nonnunquam gaudia curis*!. Jam si totus vitæ meæ liber pœne *ex meris interpunctionibus* compositus esset, qua fronte auderem in judicio pro mea justificatione tale instrumentum proferre ? . . Et talis vita, si hodie desineret: obsecro! non *in punctum exclamationis* desineret ? . . . Sit: non sint inhonestæ recreationes meæ: si *nimiæ* sint, jam *materia pœnitentiæ* sunt. . . . Ita Deus *exemplo* docuit, quiescens *Die septima* tandem, postquam *sex integros* operi creationis impenderat. Qui facit contrarium, & *unam solam* vitæ partem in negotiis seriis, *sex reliquas* autem in nugis agit: eum nego salvari posse. . . Ita *fides* affirmat. Quis enim talem audeat servum *bonum* ac *fidelem* vocare, qualis intrare in gaudium Domini mereatur? Ita ipsa *Ratio* evincit. Certum est enim, Recreationes non esse licitas titulo *finis*: quia nemo *propter illas* creatur. Licitæ igitur sunt titulo *Medii ad finem*, hoc est, *ad laborem*. Cessant ergo esse *licitæ*, quando cessant esse *media*. . . . Judica, ex his principiis, *de more Mundi*, in quo nulli *plus temporis* recreationibus impendunt, quam qui *minimum* impendunt labori.[1]. . .

5. Ne-

Digitized by Google

5. Neque discrimen hic *inter personas*, sed *inter labores* faciendum est. Literati & rudes, Heri & servi, Nobiles & plebeii, Principes & subditi nati sunt *ad laborem.* Servi *unius Domini* sumus *omnes.* . . . Ad amandum Dominum, eique serviendum ex tota *anima*, & ex totis *viribus* ex præcepto primo & maximo tenemur *omnes*: Sed *alius quidem sic*, *alius vero sic.* 1. Cor. 7. Prout a Domino, aut *ad contemplationem*, aut *ad actionem*, aut ad *vitæ mixtæ* aliquod genus vocati sumus. . . Secus, utique nec *animam*, nec *vires* Deo dicamus: nec vivimus *ex fine*, propter quem sumus. Nemo vitæ suæ est Dominus, ut prodigere possit. *Administratores* sumus. . . Administrator autem, qui, ex bonis suæ administrationi commissis, *quatuor* talenta *per ludum* perdit, & *quintum* denique *in bonum Domini* adhibet: quo jure *fidelis* appellari mereatur? . . Concludite, Domini, quam multi sint *servi pigri.* Servus piger autem non salvatur, etiamsi otium ejus de cætero *innocens* esset. . . Attamen nolite errare. Otium *vitæ mollis* non est innocens otium. . . Reum est de multis peccatis *omissionis*, qui faciunt *servum pigrum*: & accedent paulo post multa peccata *commissionis*, ex quibus fit *servus malus*. . . Sequitur, quod dicebam: Amator vitæ mollis neque *est* servus Dei, neque *erit*.

Pars

Digitized by Google

Pars II.

Qui molliter vivit, nunquam erit Servus Dei.

1. ASsertionis ratio in ipsa vitæ deliciosæ *natura* continetur, sive illam in sua origine, & prosecutione: sive in effectis intueamur. . . . *Originem* vitæ mollis in neglecta educatione invenio. *Prosecutionem* video a lucris injustis cum damno tertii sustentari. . . *Effectus* experientia *duos* loquitur, docens, quod homo mollis *circa animæ pericula* neque *cautus* sit, neque *magnanimus*. . . Ex his patebit ad nauseam, utrum deliciæ mollium sint *deliciæ innocentes*. O spes inanes! o vana jactantia! o misera cæcitas! Attendite . .

2. Et primum quidem rarissime illi, quibus *rigida educatio* obtigit, cum incipiunt esse *sui juris*, rarissime, inquam, ad amorem otii ac voluptatum rapiuntur, saltem si *rigori illi*, quem fortasse tristis egestas imperavit, prudens Pater, aut bona Mater *pia monita* addiderunt, tenerum alumnum per Christianæ Philosophiæ principia docentes *ex necessitate* virtutem facere, hominemque non *a fortunis*, sed *a moribus* æstimare. . . Primæ *opiniones*, & primæ *affectiones* scimus, quam robustas

bustas vires in ultimam usque ætatem exerant. . . Itaque qui *laborem* fastidiunt, omnemque vitæ felicitatem *in diversionibus*, quas vocant, ponunt, nescientes, qua ratione aliter horas suas agere jucunde possint: næ illi manifeste produnt, quod *ab incunabulis* erronea axiomata cum lacte biberint, a quo similiter erronei *affectus* nutriti sint. . . Animas hominum *in perfectione naturæ* æquales esse Philosophi docent. *Inæqualitas operationum* tribuitur *officinæ*, id est, corpori, cujus diversitas in organis tanquam in instrumentis efficit diversitatem actionum. . Porro, ut perfectior efformetur constitutio corporis, multum possunt Parentes conferre, nimirum, si matrimonium in ætate competente contraxerint: si moderate utantur: si in cibo & potu mensuram teneant: si liberi nati a Matre propria lactentur: si *sapienter*, puta, cum observatione temporis, quantitatis, & qualitatis alantur: si corpus exercere per idoneos motus doceantur. Et vero indoles, sanitas, forma, robur virium, gestus, incessus, agilitas, omnis morum gratia ab his Parentum industriis in filios manat. . . Quodsi hæc ita sint, num eosdem *in teneros animos* nihil posse putabimus? . . Imo omnes historiæ docent *primæ* puerorum educationi omnia pœne & bona, & mala deberi. . . Ineptæ *gerulæ*, quæ quidquid cupediarum aut crepundiorum infans petit, semper concedunt, ne puellum contristent: prima semina *contumaciæ* mentibus inserunt,

ferunt, olim in incorrigibilem licentiam erupturæ. . . *Mater*, quæ pueri *acediam* in orando non damnat: *impudentiam* in verbis ac factis non reprehendit: non arguit *otium: cruditatem* non plectit: *impatientiam* patitur: Ismaelem educat, cujus manus contra omnes, & manus omnium contra ipsum erunt. . . . *Pater*, qui mores, studia, recreationes adolescentis per se, aut per moderatorem non ordinat: qui *mentienti* arridet: *jurantem* laudat: *irascenti*, & *vindicanti se* plaudit: *murmuranti*, aut *susurranti* aures benevolas præbet: *a labore* avocat: *ad ludicra* invitat, vitæ beatæ imaginem ex Epicuri Prototypo in tabula rasa depingens: & non Evangelicæ severitati, sed ritibus Sybariticis juvenculum assuefaciens: credite mihi DD. Sodales! filium inferno præparat: & nunquam pupus ejusmodi ex Christianismi infantia ad virile robur pertinget: nunquam *intra limites innocentiæ* suis deliciis fruetur diu. . . S. Augustinus ejusmodi pueritiæ suæ fata deplorat. . . .

3. Nimirum *abdicationem* voluptatum, quibus Puer inescatur, nimis difficilem talis educatio facit: & *prosecutionem* per media honesta continuandam impossibilem reddit *sumptuum magnitudo*, quos *vitæ mollis conditio* exigit. . . . *Fodere* non valent homuli delicati, & *mendicare* erubescunt: igitur postquam (quod necesse est) celeriter cum prodigo

digo patrimonium ſuum abliguriverunt, quid facient? . . . Adhuc incedent veſtiti byſſo & purpura? Ita, ſed aliena, non ſua. Nuda riſui proſtabit cornicula, ſi mercator, & ſartor, quod ſuum eſt, detrahent. . . Adhuc epulabuntur quotidie ſplendide? ita, ſed in menſa, quam decepti creditores, aut ſubditi oppreſſi, atque ad ſortem Lazarorum redacti ſternent. . . . Adhuc inter illos numerabuntur, qui Sap. 15. *Luſum eſſe vitam ſuam æſtimaverunt*: neque crediderunt, ſe eſſe natos ad ſeria? Ita: ſed luſum adornant vis ac fraus, quia (quod ibidem ſequitur) putant converſationem vitæ ſuæ unice componendam eſſe *ad lucrum*, & oportere undecunque, etiam *ex malo* acquirere. . . Judicate, num ex *origine*, & *proſecutione* vitæ mollis ſpes prudens *de diuturna innocentia* formari poſſit.

4. Et perit omnino ſpes, ſi *effectus* conſideremus. Dixi: vita mollis facit, ut circa peccandi pericula neque *cauti*, neque *magnanimi* ſimus. . . *Nihil mali facio*, inquis: ſi laute comedo, ſi ludo, ſi ſalto, ſi accedo comœdias, ſi converſationes amo, ſi venationes, ſi muſicam: quid enim horum *Decalogus* prohibet? Nihil prohibet, fateor . . . Obiter tamen doctrinam theologicam certam, & ab omnibus ſcholis receptam ut notes, velim: *Multa per ſe, & ſpeculative honeſta ſunt, quæ per accidens, & practice prohibita*

F *fiunt*

Digitized by Google

fiunt. . . Ratio est, quia quæ *in speculatione* absunt *circumstantiæ*, ordinarie accedunt *in praxi*: unde actionis *indifferentia* tollitur: atque quod *per se* bonum erat *ex integra causa*, malum fit *ex aliquo defectu*. . . Gratulor tibi, si inter tuas delicias tibi hoc non contingat. . . Cautissimus *ut sis*, necesse esse intelligo: *quod sis*, vix credo. . . . *Cautela* enim cura est: & *cura* moles, quæ torrenti voluptatum opponitur. . . Difficulter persuades, fore, ut nunquam diruas molestum obicem: neque ad latera super ripam alterutram divageris. . . Deinde, non quæro, *quid mali* facias, sed num *aliquid boni*, & illud *bene*? Nam si ita vivere, uti tu vivis, est pro Cœlo *contendere*: nescio, quid *acedia* sit. . . Certe negare non potes, quod vita ista sit sterilis: neque *a veste nuptiali* decora, sine qua nemo ad Cœnam magnam admittitur. . . Intrare volentem si interroget Deus: *Quid fecisti Cælo dignum*? Age! Quid respondebis? Hem! quam male & in illa *licentia*, & in ista *inertia* caveas tibi: . . . Vah! Quæ omnium innocentissimæ videntur *Narium deliciæ*, raro innocentes sunt. Peccatur *ante usum* tabacci, quia prima causa movens *ordinarie* est *juvenismus*, & *vanitas*. Peccatur *in usu* per inanem *jactantiam* pyxidis, & *per intemperantiam* ex copia pulveris. Peccatur *post usum* cum scandalo, quando *per tuam importunitatem* ne in templo quidem vicinis licet esse devotis. . . Ecce! odoratus deliciæ

caute-

cautelam requirunt: quid de aliorum ſenſuum innocentia judicemus? . . .

5. Accedit, quod delicatus miles quam *incautus* eſt ad pericula, ne temere ſe objiciat: tam *timidus* eſſe ſoleat, ſi repente inciderit . . Quid ages miſer: ſi ex vicino igne fomes inflametur? ſi ambulantem in glacie, & jam lapſantem, diabolus impellat in caſum? ſi exempla intueberis ſine pudore peccantium? ſi verba audies flagitia ſua tanquam facinora glorioſa jactantium? ſi pudor invadet, quod inter impudentes minus ſis impudens? ſi amicorum riſus ac ſannæ tuam ſimplicitatem exibilent? Si Præpoſitorum aut Patronorum imperium communionem ſceleris cum minis expoſcat? ſi metus inceſſat, ne gratia tui Principis excidas, niſi impia mandanti obedias? ſi premens egeſtas urgeat, ut jus contra jus dicas plus offerenti? ſi amor honoris poſtulet, ut injuriam vindices? ſi miſeratio uxoris ac libererum prohibeat, ne male parta reſtituas? ſi imminens vitæ aut ſanitatis jactura remedium ſuggerat a conſcientia damnatum? Quid, inquam, quid ages Troſſule, in talibus rerum circumſtantiis poſitus? . . . Nimirum cum *Aquilonibus* certabis tu, qui *Favonios* metuis? . . . *Leones* & *urſos* lacerabis, qui ad *muſculi* occurſum palleſcis: . . *Goliathos* in aperto campo proſternes, qui poſt valla caſtrorum *ad bombum fiſtulæ* contremiſcis? . . Ah! nunquam *magnus animus* habitat in corpore a deliciis effeminato, &

 Chri-

Digitized by Google

Christianæ fortitudinis ac mortificationis exercitiis non durato... Viri molles cum ad pugnam vocantur: molestias & labores pertæsi, continuo *impossibilitatem* cum *difficultate* confundentes, clamant: *Non possum venire*! & simul omnes excusant se, alius, quia *villam* emit, & experiundæ vitæ suburbanæ desiderio rapitur: alius, quia *boves emit*, & in spe lucri suum gaudium habet: alius, quia *uxorem duxit*, & tenetur amplexibus. O homines imbelles, quibus ne tantilla quidem impedimenta *affectionum* superare est animus! *Victoria sui* est opus. Quid tum? Quantulacunque requiratur: *nulli mortificationi* sufficiunt vires *semiviri* sibi indulgentis, & vitæ molli assueti... Virtus *a viro* dicitur, & *vir* a *vi*. *Sine vi* neque *vir* datur, neque *virtus*: atque adeo neque meritum, neque constantia. . . Certa est veritas: Qui molliter vivunt, neque sunt servi Dei, nec erunt.

Epilogus.

SEquitur, *moderationem* adhibendam esse in usu deliciarum etiam *licitarum*: & valedicendum non prohibitis modo, sed etiam superfluis, atque *continuis*. . . Recreatio sit *Recreatio*, non occupatio; *medicina*, non cibus. Admittatur raro, ac parce, non *quotidie*, nec *ultra dosin*, quam prudens animæ archiater præscripsit. . . . *Praxis* in determinatione *ordinis diurni* consistit, per quem suum *recreationibus*, earumque *quantitati* &

qua-

qualitati tempus decernatur, congrue ad conditionem ac ſtatum. . . . Suæ *corpori* horæ dentur, nihil obſiſto: ſed ſuæ quoque dentur *animæ* & ſuæ *negotiis*. . . . Non poſſum *ex ordine* vivere! Ignava vox! Quid enim ſperem *ab ægro*, qui ſe eſſe *incurabilem*: quid *a milite*, qui hoſtem eſſe *invincibilem* opinatur? . . *Vince teipſum*, ſerve piger, & tuam *acediam* vince! . . . Vincis te, ut fias *ſanus*, ut *doctus*, ut *dives*: cur non ut *Sanctus* evadas? *Poſſum* & *debeo*: hæc duo tibi perſuade: & eris *ſervus bonus*. . . . Si negas te *poſſe*: facis injuriam viribus naturæ & gratiæ. Si negas te *debere*: contradicis Chriſto clamanti: *Contendite*! . . . Vi opus eſt! vim vita *Chriſtiani* requirit, & vita *Pœnitentis*. . . . Cur ergo non facio mihi vim? . . *Acedia obſtat*, maledicta acedia, quæ una cauſa eſt triſtiſſimi gemitus de vita præterita: *Multa mala feci*! *parum boni*! & *hoc ipſum parum bene*! . . . Eja! iraſcamur furiæ! Ira excitat ad uſum virium, & fortes etiam fœminas ac pueros facit. . . Iraſcamur! Vivat JESUS! *moriatur acedia*! . . Surgamus, & *iræ cauſas* meditemur, *ut duret*, imo ut vertatur *in odium*. .

MEDITATIO II.

De Malo acediæ.

Mane doloris materia *fuit actus*, & *ſtatus peccati*. . . *Doloris* filia *eſt ira*, & *odium*

 ſui.

sui. . Odii objectum *acediæ. . .* Motivum *odii odium Dei adversus acediam. . .* Puncta tria: Odium *Dei Patris,* 1*mum. Odium Dei Filii,* 2*dum. Odium Spiritus sancti, est punctum* 3*tium.* Fructus *Resolutio*: volo vitam præteritam emendare cito, quocunque labore constet! . . *Componite animos ad attentionem: Deus nos videt, Deus osor acediæ. . . Imploremus pro gratia, & dicamus*: veni Creator Spiritus! . .

Præludium 1. *Exhibemus nobis Christum, discipulos, se patiente, & orante, dormientes excitantem cum gemitu:* Simon dormis? non potuisti una hora vigilare? *Marc.* 14.

Præludium 2. *Dicamus cum Davide: Domine!* Secundum misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonia oris tui! *Psalm.* 118. . .

PUNCTUM I.

Odium DEI Patris adversus Acediam.

1. MAtth. 21. Christus Pharisæis hanc parabolam loquitur: *Homo quidam habebat duos filios: & accedens ad primum dixit: Fili! vade hodie: operare in vinea mea! Ille autem respondens ait: nolo! Postea autem pœnitentia*

Digitized by Google

tentia motus abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait: Eo Domine! & non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt Ei: Primus. Dicit illis JEsus: amen dico vobis, quia Publicani & Meretrices præcedent vos in regnum Dei. Digna consideratione sententia . . Duo filii *Dei Patris* sunt duo populi, Gentilium unus, alter Judæorum. Uterque vocatus est *ad laborem.* Vocatæ gentes, dixerunt: *Nolo!* sed postea prædicantibus Apostolis pœnitentia motæ venerunt in Ecclesiam, & strenue laborarunt. . . Vocati autem Judæi, suscepto Decalogo, dixerunt: *Eo, Domine!* sed *non iverunt!* tæduit servare præceptum, & DEI voluntatem a Christo prædicatam alacriter exequi: procrastinabant de die in diem: Legi Moysis adhærebant *ad speciem*: difficultates autem susceptioni Legis Christianæ obstantes vincere non audebant. Quid factum est? DEUS iratus acediæ, Judæis reprobatis elegit gentes, ex quibus Publicani ac meretrices pœnitentes, Judæos cætera innocentissimos præcedent in regnum DEI. . .

2. Fallor? aut hæc Parabola eandem *de odio Dei Patris erga acediam* doctrinam habet, quam minæ apocalypticæ promulgant, cum DEUS patientius se ferre *frigidum* testatur, quam *tepidum* malle: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* præ nausea, Apoc. 1. Ratio est, quia nullum vitium

intentionibus Dei pertinacius repugnat, quam acedia. Singula enim *laborioſa* ſunt,atque adeo facilius *fatigant* peccantem. . Sine multo labore, ac curis nunquam *ſuperbus* evehitur ad Eminentiam, cui inhiat: nunquam *invidus* æmulum ſternit, ex cujus felicitate affligitur : nunquam *avarus* pecunias coacervat votis ſuis æquales: nunquam *luxurioſus*, nunquam *guloſus* ſuæ libidini ſatisfacient: nunquam *iracundus* exequetur vindictam: paſſim ſe ratio loci aut temporis: paſſim ſe homines probi & improbi conſiliis male feriatis opponunt: opus eſt vi, ut metam obtineas: Homo piger & languidus nunquam pertinget. . . *Acedia* ſola *ſine labore* ſuſtentat ſe: & ſi laborare etiam cogitur, didicit ſibi parcere, contenta imperiis obtemperaſſe utcunque. . . Itaque ſæpe fit, ut cætera vitia laſſentur in via iniquitatis, & *ſolo mutato objecto* in virtutes vertantur (datur enim ſuperbia ſancta, invidia ſancta, avaritia ſancta, ſancta ira, ſancta gula, ſancti amores) acedia ſola, quamdiu eſt, vitium eſt : nemoque difficilius convertitur ad Deum, quam qui ſe acediæ mancipavit. . . In promptu cauſa eſt. Converſio requirit *animum ſtrenuum*, qui audeat ſeipſum, & obſtantes moleſtias vincere: ejuſmodi victoriis autem *alii vitioſi* quidem, non autem *acedioſus* aſſueſcit, ſaltem niſi (quod fit) comes acediæ ad latus eat *aliud vitium*, quod inertiam ſtimulet. A Deo ſi ſtimulatur: vel omnino recalcitrat, laborem fin-

fingens in præcepto: vel procrastinat certe, vocanti lentum illud, ac somnolentum Cras! Cras! contumeliose reponens. Quid? Non est causa Deo Patri, ex qua ignavo filio irascatur, & oderit? . . . Suo quemlibet hominem statui, suis officiis *auctor Naturæ* destinavit, haud secus ac cæteræ creaturæ singulæ ad suos fines productæ sunt, determinato singulis *certo tempore*, quo servire *intentioni* Factoris sui debent *sine dilatione*. . . . Pondus, numerum, mensuram, ordinem, modum agendorum sapientissimus Conditor universi ab æterno disposuit. . . *Voluntate signi*, quid, quo, tempore, qua ratione cuilibet agendum vel omittendum sit, declaravit. . . . Solus Peccator huic declarationi se opponens turbavit rerum ordinem designatum: Deumque coegit, ut, quem gloriæ suæ *gradum* per voluntatem signi obtinere non potuit: *per voluntatem beneplaciti*, cui resisti non potest, sibi assereret. . . Quæ est autem *voluntas signi* in Deo? Est illa, quam *per præcepta* & *consilia* nobis manifestat. . . Et quis se præceptis, consiliisve opponit? *Acedia* utique, acedia sola pœne, quippe quæ non audet resistere violentis affectibus rapientibus *ad actus probibitos*: vel non vult vincere molestiam, quæ vincenda est, ne omittantur *actus præcepti*: vel certe impedit, ne, quæ facienda sunt, fiant *bene*: & fiant *in tempore*. . . . Dixit Piger: *Eo Domine. Et non*

ivit. . . . Cur non ivit? Quia hodie non fuit diſpoſitus: quia hodie non *lubuit*: quia tæduit. . . . . At cras ibit? Imo cras ire non poterit. Turbatus eſt ordo, quem conſtituit *voluntas ſigni*: ſuccedit ordo alius, quem ſtatuit *voluntas beneplaciti*, & nempe Publicani ac meretrices pœnitentes *in tempore*, quod illis *voluntas ſigni* deſignavit, præcedent in Regnum DEI. . .

3. Novum hoc lumen eſt, & lumen horrendum . . . Certam gloriæ *menſuram* ſibi conſtituit DEUS Pater, cum Mundum creavit. Eſt evidens veritas, quia gloriam undequaque infinitam *ad extra* intendere non potuit. Porro conſtitutam menſuram conſequendi *medium* erat geminum: alterum *ſeries eventuum*, quam cupiebat *voluntas ſigni* in DEO, ſi illi homines & Angeli obedirent per bonum uſum liberi arbitrii: alterum *ſeries eventuum*, quam abſolute decreverat *voluntas beneplaciti* in DEO *ex ſuppoſitione*, ſi hi aut illi homines aut Angeli non obedirent. Dedecuiſſet enim Creatoris ſive potentiam, ſive ſapientiam, ſi decretam ſemel menſuram gloriæ aſſerere ſibi *per aliam viam* non potuiſſet, aut non voluiſſet, poſtquam *primam viam* ire homines & Angeli recuſaſſent. Quid ſequitur? *Menſuræ partem* illam, quam DEUS a me exigit, certiſſime DEO reddam vel *ſponte* ſecundum ordinem voluntatis ſigni: vel

coa-

Digitized by Google

conſte, ſecundum ordinem voluntatis beneplaciti. Lux terribilis! nam hæc veritas manifeſtat, quam merito DEUS Pater acediam oderit . . . Bonitas Patris, infinita bonitas facit, ut DEUS mallet conſequi finem ſuum per voluntatem *ſigni*, ſeu per præcepta, per conſilia, per promiſſa, per minas, per inſpirationes: *Acedia* autem, hæc omnia negligens, facit, ut plane invitus debeat procedere ſecundum voluntatem *beneplaciti* per ultionem inobedientiæ, & ſupplicia congrua, ex Patre mutatus in Judicem . . . Superi! Quam cœcus fui, qui tantum acediæ malum huc usque non vidi!

4. Age, anima infelix! pone caſum, quod reliquis etiam Creaturis *liberum arbitrium* Creator conceſſerit . . . Hactenus ex voluntate divini *beneplaciti*, quidquid ab illis fit, aut non fit, agunt, quin poſſint aliter agere: . . . *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum* per ordinatiſſimos motus, & converſiones ſuorum orbium: *Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam* de ſummo artifice tam admirabilis machinæ . . Pone autem, quod dixi: poſſe has creaturas *per abuſum libertatis* Creatori reſiſtere: pone Solem *per acediam* nolle eſſe *luminare majus*: Lunam *per ſuperbiam* nolle eſſe *luminare minus*: Ignem *per invidiam* nolle luce-

re

Digitized by Google

rę aeri: aquam *per avaritiam* nolle rigare terram: non vides, quæ *per hanc renitentiam* secutura esset pulcherrimi ordinis perturbatio? Non intelligis, quantum gloriæ suæ detrimentum ex operis sui deturpatione Deus pateretur? . . . Atqui o bone, sicut ex voluntate *beneplaciti* constituit Deus certum ordinem actionum *naturalium* congrue ad mensuram gloriæ semel electam: ita ad eundem finem designavit certam seriem actionum bonarum *moralium* ex voluntate *signi*: Et hanc seriem tu interrumpis vel *male* agendo, vel *nihil* agendo, vel, quod hodie volebat DEUS, differendo *in crastinum*: adverte, quid futurum sit tibi. . . . Sol, si vellet solis Europæis, non autem Americanis lucere: Luna si vellet diei, non autem nocti præesse: Elementa si vellent locum mutare: iratus Creator rebelles in antiquum nihilum redigeret: atque obsequentiores famulos ex luto ac pulvere ad gloriæ suæ reparationem produceret. . . . Ecce! hoc est, quod dicebatur: *Publicani & meretrices præcedent vos*! Vos, qui ex voluntate *signi* per acediam sponte non vultis servire Deo ad gloriam *Misericordiæ*: ex voluntate *beneplaciti* servietis coacte ad gloriam *Justitiæ*. . .

5. Heu me! Pater peccavi! nam quoties seriem actionum, quam mihi per voluntatem *signi* manifestaveras, turbavi, *ma-*

lum

Digitized by Google

lum agendo, *nihil* agendo, imo & *bonum* procrastinando! . . . Quousque differam igitur *Emendationem vitæ præteritæ* ? . . Illam emendat *dolor* : Hodie *dies doloris* est : hodie fiat emendationis *initium*. . . Hodie voluntas *signi* ad dolorem invitat: Obedio. . . Doleo, Pater mi! quod *intentionibus tuis* minus, quam oportebat, responderim. . . . Maledicta acedia! tuum est crimen, quod ita vixerim, ut de me dicere Pater cœlestis possit, quod de tot aliis dixit: *Pœnitet me fecisse hominem*! . . . Absit hoc a te Pater mi! Me, Me pœnitet *fuisse hominem*, cujus merito pudere te possit! Pœnitet! . . verum hodie finis sit socordiæ meæ. . . . Sit hæc voluntas *beneplaciti* tui, ut, quod dedisti velle, des perficere; JESUS Filius tuus, in quo tibi bene complacuit, orat pro me! . . .

Itane vero! JESUS orat pro te? pro homine inutili, pro otioso, *pro supernumerario*, quo orbis sine omni damno carere potest: *pro servo pigro* JESUS orat? . . . Falleris homule! pro ignavo non orat JEsus: *Acediam* sicut Deus Pater, sic & Deus Filius odit, quod est



PUNCTUM II.
Odium DEI Filii.

1. Colligite, obſecro, novas vires ad meditandum: graviſſimam enim querelam ex hac cruce audio. *Quæ utilitas in ſanguine meo?* Pſ. 29. Frigidus horror per oſſium medullas fluit. . . Ecce ad tribunal Crucis conſtitutus, juberis reddere rationem *Serve piger!* quomodo talentum pretioſi divini ſanguinis *ad lucrum* impenderis. . . Redde rationem! *Quæ utilitas in ſanguine meo*, ſive tibi, ſive aliis per te? . . Heu me! Pœnitet me *feciſſe* hominem! dicit Pater: Pœnitet me *redemiſſe* hominem! dicit Filius: quo me verto? . . *Quæ utilitas in ſanguine meo?* Miſerabilibus modis me torquet hæc quæſtio, quia neſcio, quid reſpondere honeſte poſſim . . . Finis, quem JEſus *patiendo* intendit, fuit, *ut mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*, Tit. 2. Et ego me invenio in Congregatione hominum pigrorum, qui, niſi quod aliquoties roſarium dixerint, aut Pſalmos per poſtam præcipitaverint, non habent, unde ſibi blandiantur, quaſi operæ pretium fuiſſet, ut JEſus pro illis ſanguinem funderet . . . Apage! turba hominum ignavorum, dedecus, non ornamentum Eccleſiæ ſunt. . . . Odit Redemptor has ſordes, &: *Ejicite*, clamat, quem? ſervum *nequam?* ita: ſed non tantum: Etiam ſervum *pigrum*, ſer-

servum *inutilem* ejicite in tenebras exteriores! *Me pœnitet*, pro ejusmodi esse mortuum! *quæ utilitas*? . . .

2. Quod narro de odio Dei Filii *contra acediam*, non est conjectura, est veritas non solum *ex servi pigri damnatione* comprobata: sed ex historia *de ficu* solis radiis clarior. Expendite narrationis adjuncta. Esuriit JEsus, ajunt Matthæus c. 21. & Marcus c. 11. vidit ficum, & accedens, ut famem inde compesceret, cum nihil invenisset præter folia, iratus maledixit arbori, quæ continuo ab ipsis radicibus exaruit. . . . Advertite: *Non erat tempus ficuum*, ait Evangelista, & tamen Christus quærebat ficus in arbore, quia arbor illa erat symbolum hominis, a quo (tanquam ab arbore, cujus *ab arbitrio* venit fructus, aut non venit) Deus *semper* fructum exspectat. Tu dicis: *Ero prudentior, cum ero senior: nunc juvenis sum*! Erras! Pro arbore *rationali* semper est tempus ficuum . . . Tu dicis: Serviam DEO in autumno: in vere mihi vivam! O arbor mala! JESUS, qui te plantavit in Ecclesia sua, & rigavit sanguine suo: Si *in vere* ætatis veniat, & quærat fructum in te: nec inveniat: quid fiet tibi? . . . Non erat tempus ficuum! & tamen JESUS *maledixit* ficui, illaque *exaruit* . . . Intelligis infortunium, quod tibi imminet? . . .

3. Et

Digitized by Google

3. Et merito irasceris JESU! homini ignavo, qui existimat dari *tempus* posse, in quo ferre fructum non teneatur.... Cum ero vir, aut senex, tunc cogitabo de dignis fructibus pœnitentiæ! cum statum mutabo, etiam mores mutabo! cum ero maritus, tunc vivam caste! cum ero Sacerdos, tunc vivam caute! cum ero Religiosus, tunc ero parcus temporis, & vivam ex ordine! . . . Homo temerarie! Quid putas? Deus, qui est Dominus tuus *in autumno*, nunquid non est Dominus tuus *in vere*? . . . Aut, qui habet; quod imperet *seni*, non habet, quod imperet *viro*, aut *juveni*? . . . Aut fortasse obedire DEO tenetur Maritus, tenetur Sacerdos, tenetur Religiosus: Homo autem cælebs aut laicus non tenetur? . . . O insensati juvenes, quis vos fascinavit, ut velut pullos onagri liberos vos esse natos existimetis! . . . Aliud nos tuum, JEsu! exemplum docet . . . Ecce! Hic JEsus Filius DEI vivi de cœlo descendens *formam servi* accepit, ut doceret nos modum serviendi DEO, a quo ut ei serviremus, creati sumus . . . Hic igitur JEsus vobis servis otiosis pigris, lentis, amatoribus nugarum, osoribus laboris acclamat Herili voce: *Quid statis tota die otiosi?* . . . Ego Filius DEI vivi! Ego Dominus & Magister vester: *Ego in laboribus a juventute mea.* Ps. 87. in laboribus *variis* atque *assiduis* fui: & vos, quos (ut nihil de cœlo lucrando dicam) peccatum Adami

mi ad veſcendum in ſudore vultus ſui pane ſuo damnavit, vos vultis *a labore* exemptionem prætendere? . . . Privilegium, ſcilicet, quia divites, quia nobiles, quia juvenes eſtis, jactare? . . . Licentiam otiandi tanquam de jure per conſuetudinem inter veſtrum ſimiles introducto audetis aſſerere? . . . Corruptela eſt, non conſuetudo. Ego ſum *Veritas*! Ego ſum *Via*! Per me, per mea exempla (& non eſt alius trames) *per mea exempla* itur ad vitam. Ego autem *in laboribus* fui, in variis, & aſſiduis laboribus, ubique & ſemper, pœne ſine remiſſione, ſine requie. . .

4. Et vere ingenuus pudor genas pingit, cum vitam JESU mei inſpicio . . *Tria verba* totam componunt: Oravit, laboravit, paſſus eſt! . . *Tres amores* divinum pectus nimirum penitus occupaverunt, amor orationis, amor laboris, & amor crucis. . Diſcite ſervi a Domino, quibus *affectionibus* locum in cordibus veſtris dare debeatis . . . Amor *orationis* tantus in JESU fuit, ut, cum diem illi labor rapuiſſet, nox ſervire orationi debuerit . . . Triginta totos annos oravit in officina Joſephi: oravit in templo: oravit in deſerto: oravit in foro: oravit in cænaculo: oravit in horto: oravit in cruce . . . Cum amore orationis amor *laboris* certavit . . . *Pueritiam* ille ſuam, & *juventutem* non, ut noſtri juvenes ſolent, ſtando in foro, va-

G gan-

gando per plateas, garriendo, ludendo, dormiendo agebat: totam in officina Patris sui per labores *congruos statui* occupabat, donec venit hora, qua a vita privata ad publicam vocabatur. . . *Factus vir*, totum se, quantus erat, laboribus suæ vocationis dedit, nunquam *ad vacationem* aspirans. . Laborabant pedes, & per itinera fatigabantur: Laborabant manus, & opera misericordiæ exercebant benefaciendo, & sanando omnes: laborabat lingua, prædicando pœnitentiam, & quod appropinquasset Regnum Cœlorum: Laborabant omnes vires corporis, & potentiæ animæ, ut docerentur ignorantes, converterentur peccatores, animarentur justi, terrerentur contumaces, superbi confunderentur. . . Fecitque amor *Crucis*, ut in his laboribus non deficeret JEsus, etsi videret, laborum mercedem non sperandam esse aliam sibi, quam oblocutiones, invidiam, odia, vincula, sputa, flagra, spinas, patibulum. . . Eja! Quis animus est vobis, Domini! ad hanc narrationem? . . . JESUS responsum a vobis expectat ad hanc quæstionem: *Quæ utilitas* in his exemplis? *Quæ utilitas in sanguine meo*? . . Per vestram vos salutem obtestor! Cogitate serio, quid respondere velitis, aut possitis. Homo, qui obmutuit, ejectus est in tenebras exteriores, Matth. 22. . . .

5. O maledicta acedia! tua est culpa, quod respondere ad quæstionem non possim

. . . Quid

. . . Quid dicam enim ? Equidem *oravi* etiam ego interdum, ſed miſere! . . *Laboravi*, ſed invitus, & coacte! . . . *Paſſus ſum*, ſed impatienter! . . . Quæ utilitas in exemplis Chriſti ? Nimirum bonos illos *amores* acedia non admiſit in cor, amores, qui imitationem Chriſti mihi *facilem* reddidiſſent . . . Orarem *ferventer*, ſi *amarem* orationem: laborarem *alacriter*, ſi *amarem* laborem: paterer *fortiter*, ſi crucem *amarem*. . . . Nunc (o turpe dedecus confeſſionis meæ!) Nunc Miſſæ paulo longius protractæ me tædet! . Si Breviarium *de ea* occurrit, ingemiſco! . . Quoties ad orandum me hora vocat: vel officium adigit: totum pectus *faſtidium* occupat: & veluti de bravio certamen eſſet, properamus ad finem! . . . Quæ utilitas in exemplo Chriſti *orantis* totas noctes, & usque ad agoniam ? . . . Nunc a laboribus *neceſſariis* me celeriter expedio, contentus officio aut ſtatui ſatisfeciſſe *ad ſpeciem*: labores autem *arbitrarios* vel nullos adſciſco: vel in nugas expendo! Quæ utilitas in exemplo Chriſti *laborantis* aſſidue, & cum maxima intenſione virium tam corporis, quam animi? . . . Nunc ſi a longe inter occupationes officii vel ſtatus mei ſe *Moleſtia* exhibet: Signo crucis contra crucem me munio, & inania ſolatia ab hominibus emendico! Quæ utilitas in exemplo Chriſti *patientis*, nec deſcendentis de cruce, do-

nec dicere posset: *Consummatum est!* . . . Inops consilii de responso, quo me vertam? Obsecro, dicite o boni! Quærit ex me JESUS: *Quæ utilitas in sanguine meo* apud te? Dicite, quid dicere possim? . . . Angustiæ sunt mihi undique! Maledicta acedia fecit, ut neque *inter innocentes*, neque *inter pœnitentes* serio numerare me audeam! . . . O calamitas ingens! . . . O Anima nobilis! Ergo periit Sanguis JESU in te! . . . JESU! *Quærens me sedisti lassus: Redemisti crucem passus: tantus labor jam sit cassus?* . . . Audiam ego ex ore tuo: *Pænitet me redemisse hominem hunc?* Ah! Ergo ego omnium infelicium infelicissimus sum, quippe qui JEsum æternum amare non potero: & quem JESUS æternum amare non volet! . . . Parce, o JESU! parce fatenti Reo! absit, ut pœniteat te redemisse hunc hominem! . . . Ecce! occurrit, quid respondeam tibi ad difficilem Quæstionem: *Hæc est utilitas in sanguine tuo*, quod me tandem serio pœniteat acediæ meæ! . . . *Hæc est utilitas*, quod sentiam cor accendi in iram heroicam contra meipsum ad satisfaciendum Justitiæ tuæ secundum Rigorem Evangelii tui! . . . *Hæc est utilitas*, quod tandem audiens vocem tuam non obdurem cor meum. Hodie, dixi: hodie incipio vitam novam. Incipio ab emendatione vitæ præteritæ *per dolorem* . . . Eja! Veni S. Spiritus: *gratiam doloris intensi* dona! . . .

Ve-

Digitized by Google

Verum festina lente, *serve piger*! gratia doloris intensi est ingens gratia, & donum pretio sanguinis divini emptum. Acedia tua etiam Spiritum S. offendit. Vide, utrum *ab offenso* sperare donum tam grande possis. . . Agite, Domini! Crescat luctus *de reatu acediæ*: ita cor disponemus felicius ad recipiendum *intensi doloris* donum. Crescat luctus! Acedia nostra etiam Spiritum S. offendit, nam & ipse odio acediam, quo Pater ac Filius, eodem odit, quod est

PUNCTUM III.
Odium Spiritus Sancti.

1. *NOlite contristare Spiritum S.* clamat Apostolus Eph. 4. Quid ita? Num cadere tristitia in Spiritum potest, qui est fons omnis gaudii? Certe si posset, non aliunde vehementius contristaretur Spiritus S. quam a vitio *suæ naturæ* directe contrario, hoc est, *ab Acedia.* Ipse est ipsa *substantialis lætitia*; per quam Pater & Filius *ex mutua complacentia* beati sunt: est mera *vita*, merus *actus*, merus *ignis*, quem Christus venit mittere in terram, ut accendatur. Quid magis repugnat *lætitiæ*, quam tristitia, fastidium, segnities? & quæ res sibi directius opponuntur, quam *vitæ* mors, *actui* inactio, *igni* glacies? . . . Intellige, quæ illi conventio cum acedia sit. . . *Vis inertiæ*, si Philosophis credimus, nulli *Spiritui*,

ſolis *corporibus* ineſt. Per hanc vim corpus reſiſtit *motui*, quantum poteſt: nec illi ſoli, quem *aliud corpus*, ſed etiam, quem *Spiritus* imprimit, ſicut ſcriptum eſt Act. 7. *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis*! Et contingit *hæc reſiſtentia* duobus modis, *poſitive*, cum caro contumaciter concupiſcit *adverſus ſpiritum*, fovendo inclinationes *contrarias*: aut *negative* per omiſſionem ſerii conatus, quo Spiritus ageret *contra carnem* . . . Eſt vero tanta hæc *vis inertiæ* in carne noſtra, ut Spiritus *ſolius arbitrii virtute* diu obniti non poſſit: accedere debet *vis gratiæ*, roborantis voluntatem, ne corpus, quod corrumpitur, nimis aggravet animam . . . Quodſi voluntas recuſet *cooperari* cum gratia: *vis inertiæ* vim gratiæ ſuperat. . . Quid ſequitur? Victoria eſt in manibus *acediæ* . . Certe armiſtitium fit: *differtur* Converſio: *hodie* nihil fiet . . . Hem! Sic contriſtatur Spiritus S. & ex hac contriſtatione neceſſe eſt naſci *odium acediæ* in Spiritu S. cujus gratia neſcit *tarda molimina* . . . *Repente fit ſonus de cælo, tanquam advenientis Spiritus vehementis, replens totam domum*, Act. 2. Si clauſam invenerit: prætervolat. Experta eſt Sponſa in canticis. Januam pulſavit Sponſus: ipſa moram traxit in aperiendo, lectuli amore detenta. Quid fit? Mox facti pœnitens ſurgit: aperit: ſed dilectus jam declinaverat, Cant, 5. Quæſivit: & non invenit:

voca-

vocavit illum : at ille non respondit. Adeo displicuit *tantilla* acedia. . .

2. Conclude, quid futurum sit animæ pigræ, gratiæ irrigationes per vim inertiæ *diu* frustranti. Luc. 13. leges de alia arbore, quam inspiciens Herus dixit Hortulano: *Ecce! anni tres sunt:* & singulis annis quæsivi fructum ex ea: & non inveni. *Succide ergo illam! ut quid terram occupat!* . . . Audis sententiam, *serve piger?* nam de te narratur parabola. Ecce 60. anni sunt, ex quo per Spiritus S. gratiam baptismi virtute in Ecclesia collocatus es. Quæro fructum *baptismi*, ait Deus. Fructus *innocentia* est: & non invenio . . . Anni 50. sunt, ex quo confirmatus es sacro Chrismate. Quæro fructum *Confirmationis.* Fructus est *publica* mei famulatus *confessio*: & non invenio . . . Anni 40. sunt, ex quo *Sacramenta* Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentas. Quæro fructum utriusque Mysterii. Fructus est *puritas* conscientiæ, & *elevatio* mentis ad æterna: & non invenio . . . Anni 30. sunt, ex quo *matrimonium* iniisti. Quæro fructum gratiæ Sacramentalis. Fructus est *patientia* onerum, & pia *educatio* prolis: & non invenio . . Anni 20. sunt, ex quo ordinatus es Sacerdos. Quæro fructum *SS. Ordinum.* Fructus est servire *Deo* servitutem perfectam, & *Ecclesiæ* servitutem proficuam: & non invenio . . . Anni 10. sunt, cum extremum *inun-*

inunctus es. Lata erat ſententia: *ſuccide illam*! Interceſſit aliquis Sanctorum, & inducias impetravit. Fructus induciarum debuiſſet eſſe *converſio morum*: & non invenio. . . Querela amara! . .

3. Attamen, quam patiens eſt Spiritus ſanctus! . . Ipſe *non uſus* tot gratiarum merebatur, ut te tibi relinqueret, imo ut Juſtitiæ vindicativæ te traderet, etiamſi nullus acceſſiſſet *abuſus*, qualis *in ſacrilego uſu* Sacramentorum committitur. . . Quouſque autem patieris deſiderari a te fructus tot titulis expectatos? . . Per quidquid amas, obſecro! noli contriſtare Spiritum S. & vi majore *vim inertiæ* excute! . . Somnus tuus *frater* mortis æternæ eſt! . . Baptiſmus, Ordo, Matrimonium te poſuerunt in ſtatu, & jus *ad gratiam vocationis* dederunt, per quam vires acciperes ad ferenda onera ſtatus... . Hæc *gratia vocationis* non eſt una ſimplex gratia: eſt ſeries & *catena gratiarum* continuo ex ſe pendentium. . . Bene uteris prima, ſecunda, tertia: gratulor! Sequetur quarta, quinta, ſexta. . . Septima uti ſi per inertiam negligis: Heu! rupta eſt ſeries! diſſiliit annulus catenæ, fortaſſis nunquam deinceps reficiendæ! . . Quam profundus eſt ſomnus hominis, quem, non dico, nulla *vox* Domini, & nulla *lux* de Cœlo, ſed neque tantus *ſtrepitus*, atque *concuſſio* excitat! . . Putas, *a lethargo* differre? . . .

4. In-

4. Intelligo jam, quid velis Domine, quando beatos vocas servos, quos inveneris *in omni vigilia* vigilantes Luc. 12. Nempe non sufficit vigilare in prima vigilia: æque gravis obligatio est vigilandi in secunda, & tertia, ut, quacunque hora veneris, *confestim* tibi aperire possimus. . . . Ecce anni *tres* sunt! Quid sibi hic determinatus numerus postulat? Non admones me, quod, sicut omnia in pondere, numero, & mensura fecisti: ita determinatus sit numerus gratiarum, quo completo, finis sit *vitæ salutaris*, aut forsitan etiam *vitæ naturalis*? . . Habent Medici *dies criticos*, ex quorum observatione de statu morbi judicant propter alterationem humorum, quam pro illis diebus expectant. Quid si Spiritus sanctus similiter *gratias criticas* numerat, a quibus si in ægro nulla efficiatur mutatio, actum sit de salute? . . Heu! *Gratia critica!* formidandum Mysterium! Media nocte illa Virgines fatuas excitavit quidem, ac terruit, sed cui bono?

5. Ah! cui bono? æterno a nuptiis exilio miseræ suum somnum luerunt. Et adhuc Simon dormis? Neque ambæ aures tinniunt pigro ad vocem horrendam: *Nescio vos*? . . Domine! Quid est a te nesciri, qui omnia scis? . . Sponse animæ meæ: ergo æternum inter nos divortium erit? nam quomodo amabis animam, quam nescis? . . O infelicium omnium infelicissima creatura, quam nescit

 Crea-

Creator, Redemptor, Sanctificator, quia nescire vult, & pœnitet eum *fecisse* hominem, pœnitet *redemisse*, pœnitet *sanctificasse*! O tristis pœnitentia, cujus vel sola cogitatio medullam ossium siccet! . . Et tanti mali causa acedia sit, *Acedia*, vitium, quod vix a paucis inter vitia numeratur? vitium, de quo vix quisquam se in sacro tribunali accusat? vitium, de quo nemo erubescit: nemo metuit malum: nemo remorsum sentit? . Enimvero *Acedia* tanti mali est causa, quia *servus piger non salvatur*: & *Acedia* fecit, *ut sim servus piger*: nam qua fronte possum negare *hanc Minorem*? . . Sequitur funesta conclusio: *ergo non salvabor*! nempe quam diu *acediam* amo! . . . Quousque amabo autem? Exurge in iram anime! Nemo irascitur *justius*, quam qui sibi irascitur. Nunquam *in causa*, rarissime *in modo* hæc ira peccat. . . Exurge anime! neque ut Heli cum filiis egit, languide tecum age. . . *Amor proprius* hanc furiam fovit, quæ te Spiritui S. exosum fecit. Damnetur ad pœnitentiam! Et ne ipsa pœnitentia langueat, ac *sine pœna* sit: damnetur ad *intensum* dolorem, ad confessionem *rigidam*, ad satisfactionem *diuturnam*! . . . Nemo me magis læsit, quam ego: totius Trinitatis odio me dignum reddidi! Luam! sic bene me amo. . . .

Collo-

Colloquium.


SS. Trinitas unus DEUS, miſerere mei! .. Si tu pro me tam parum egiſſes, ac ego pro te, quis eſſem? . . Ah! Pater de Cœlis DEUS! nihil eſſem! . . Fili Redemptor Mundi DEUS: Filius iræ eſſem! . . . Spiritus S. DEUS: titio inferni eſſem! . . DEUS! *Secundum miſericordiam tuam vivifica me* in acediæ exterminium, per quam unam huc usque ſtetit; quod tibi non dixerim: *vivifica me, & cuſtodiam teſtimonia tua*, & mandata ſolis *ſervis pigris* moleſta. . . Pœnitet in hoc numero fuiſſe . . Pœnitet *vitæ præteritæ*! . . Multa mala feci! . . parum boni! .. . & hoc ipſum parum bene! . . . abſurda hiſtoria! . . talis vita, nunquid vita? totum nihil valet! incipiamus ab initio! . . *Surgamus!*

Initium a pœnitentia *fiat. Homo pænitens autem eſt homo* ſibi iraſcens. *Tempus iræ eſt* tempus Examinis. *Eja! Nemo hodie cubitum eat, niſi prius dixerit ſibi*: Fatue! *atque* procraſtinationem *pænitentiæ* per intenſum dolorem *damnaverit. Punite ſervum pigrum, punite ſine miſericordia.* . . *Hodierna dies* dies doloris *fuit: Dolor eſt Iræ pater. Ira facit peccatis finem.* Iraſcimini! *& deinceps noletis peccare. Tardatum*

datum ſatis eſt. Oportet DEO ſervire *cito* ! *Hæc reſolutio ſit fructus diei* 1*mæ actæ* in Dolore *ad exterminium acediæ, pro emendatione* vitæ præteritæ. . . . *Dies craſtina erit* dies amoris , *qui nos urgebit* , *ut ſerviamus DEO ſerio.* *Ita ad exterminium acediæ ordinabimus* vitam præſentem. *Utrique conatui* benedicat DEUS Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus !



Digitized by Google



Dies II.

Laudetur JEſus Chriſtus!

℟. in æternum.

Contendite intrare per anguſtam portam! . . *Eſt adhortatio D. N. J. C. . . Contentionis nomine intelligit Dominus* diligentiam *in ſalutis negotio cito agendo, quod heri expendimus: & ſerio agendo, quod hodie ſtatuemus. Dies heſterna* dies doloris *fuit, ex cujus impulſu decrevimus emendare vitam* præteritam, *corruptam* ab Acedia, *quæ nos totius Trinitatis odio dignos fecit. Maledicta acedia! . . Dies hodierna* dies amoris *erit, ex cujus regulis ordinabimus vitam* præſentem *ad exterminium acediæ, quæ hominem inutilem Deo ac Mundo facit. Maledicta acedia! . . Eſt igitur hujus diei Scopus hæc Reſolutio*: volo ſervire DEO, non ſolum cito, ſed etiam ſerio, quocunque labore conſtet. *Surgite! accendet fervorem*

MEDI-

MEDITATIO I.
De amore Dei.

Puncta *sunt duo*: Motiva amoris *exhibet Punctum* 1*mum*. Modum amandi *expendit* 2*dum*. *Fructus sit* Fervor amoris. *Cum S. Francisco in contemplatione Dei nostri absorpti clamemus*: Deus meus, & omnia! Deus, & omnia! *Iterumque cum S. Ignatio*: Amorem tui solum mihi dona: & dives sum satis! .. *Sedeamus.*

PUNCTUM I.
Motiva amoris.

1. OBjectum amoris nostri est unicum, *Deus*: sed sub gemino titulo. Deus *amabilis*: quis non amet? Deus *amans*: quis non redamet? . . . Beati in cœlo Deum *necessario* amant 1. quia illum vident *clare*, & de facie ad faciem, non in ænigmate. 2. Quia intelligunt Deum esse bonum *purum*, bonum *omne*, bonum *summum*. . . . Nempe *bonum* est objectum voluntatis. Voluntas ad illud propendet, & inclinatur *fortiter*, si cognoscit esse bonum simpliciter: *fortius*, si cognoscit esse bonum bonis aliis majus: *fortissime*, si cognoscit esse bonum purum, bonum omne, bonum summum. Tunc enim (modo cogni-

cognitio *clara* sit, & nulli dubio, aut formidini erroris conjuncta) jam non inclinatur, sed rapitur per suavem violentiam, cui resistere non est in potestate, saltem nisi avertere intuitum in aliud objectum possit, quod Beati non possunt. Itaque difficultas, quam in amando Deo nos experimur, geminos fontes habet, obscuritatem cognitionis, & errorem apprehensionis. . . *Obscura* est cognitio Dei, quia de natura ipsius, & perfectionibus *ad intra* potius scimus, quid non sint, quam quid sint: de perfectionibus *ad extra* autem *erronee* judicamus, & ex operationibus earum Deum apprehendimus formidabilem magis, quam amabilem. . . , Verum istæ excusationes sunt pulvilli *acediæ*, quos consuit sibi, ut quietius dormiat. Auferemus, si expendemus, quam *amabilem* Perfectiones ad intra: quam *amantem* Perfectiones ad extra attendenti exhibeant.

2. Dei natura in hac vita non nisi *per negationes* a nobis cognoscitur. Quid tum? ajo: vel solas negationes sufficere ad formandam de Deo Ideam *summe amabilis*. . . Intelligo ex Ratione & Fide, quod Deus sit Ens a se, non *ab alio*: unus *sine æquali*: æternus *sine initio & fine*: immensus *sine limitatione ad locum*: independens *sine indigentia opis alienæ*: immutabilis, invisibilis, immortalis, infinitus in omni genere perfectionis. Quid? Non sufficit, ut exclamem: *Quis ut Deus*?

Deus? . . Non jam vel hæc ſola cognitio debet amorem *appretiative* ſummum producere, hoc eſt, inclinationem voluntatis Deum *practice* ſuper omnia appretiantis, & ideo eligentis mori potius, quam Deum offendere? *Bonum majus* eſt Deus, quam vita mea: igitur recta Ratio poſtulat, ut *magis*, quam vita, ametur. . . Hem! Ipſæ *Negationes* hoc affirmant. . . Et quid docent *affirmationes*? Affirmative Deum eſſe *ſumme amabilem* cœlum, terra, infernus teſtantur. . . Quid vero? *Infernus* Deum eſſe *amabilem* prædicat? Ita: hoc affirmo. Attendite. . . Prædicata Dei *affirmativa* ſunt, quod ſit potens, ſapiens, bonus, dives, juſtus, ſanctus, & ejusmodi ſine fine. Euge! Quod ex omnibus non eſt *amabile*? . . Potentiam, & Bonitatem *Cælum* enarrat. . . Si *admirabilis* videtur, qui tantum opus fabricavit: non ille omni amore *amabilis* cenſeatur, qui tantam potentiam non, niſi ad bonum noſtrum, impendit? . . Sapientiam *terra* laudat, exultans in divitiis ſuis, & per curam ſui Gubernatoris beata. Tanta Liberalitas, & ſemper vigil Providentia non *amorem* meretur? . . Juſtitiam *infernus* celebrat. Juſtitia fortaſſe ſola non eſt digna *amore*? Quidni? Infernus locus eſt tormentorum: quis amet eum, qui locum tam crudelem ædificavit? Ita loquitur *amor ſui*. Sed aliter fides, aliter ſana Ratio ſentit. . . . *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum de meretrice magna.* Apoc. 19. hoc eſt, de Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia impiorum ! clamat Fides. . Justitia Dei *sancta* est : quod sanctum est, laudabile est: quod laudabile est, bonum est : quod bonum est, amabile est: igitur *Justitia* quoque amabilis est ! ita discurrit *Ratio.* . . Et recte discurrit. *Sanctitas* enim Dei omnes perfectiones, quæ se nobis *terribiles* exhibent, si seorsim considerentur : *amabiles* facit, si considerentur *ut Sanctæ.* . . Juvat cantare : *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus Dominus Deus*, nec jam amore solum *appretiative*, sed etiam *affective* summo amabilis! Sancta Potentia est,quidquid moliatur ! Sancta Sapientia, quidquid decernat ! Sancta Justitia quantumvis austera ! . . Ita, anima mea ! etiam *Deus austerus* amabilis est. Sanctus, sanctus, sanctus *Dominus Deus!* Nihil in ipso non sanctum est. . . *Sanctus Deus* in perfectionibus *negativis*, quæ quidquid imperfectum est, ab ipso auferunt *ad intra* ! . . *Sanctus Dominus* in perfectionibus *affirmativis*, quæ ipsi, quidquid est Servo optabile, adjiciunt *ad extra*. . . . Uterque titulus demonstrat ipsum *omni amore* amabilem esse. . .

3. Itaque *omni amore* amemus. Nulla excusatio ab amando excusat. Non cognoscimus Deum, nisi per speculum, in ænigmate, in negationibus: Satis est. . . Jam ex hoc ipso titulo scimus, quod superet omnem scientiam, & *incomprehensibilis* sit: & ex hoc ipso prædicato nascitur desiderium tantum bonum

ſemper amplius cognoſcendi, amplius amandi. Amemus *amore complacentiæ*, & congratulemur ei, quod ſit *omne bonum in ſe.* O amabilis *Deus*, quam gaudeo, quod ſis, qui es! .. Apprehendimus in Deo prædicatum *auſteri*, tanquam prædicatum, quod Dominum ſervo minus amabilem reddat. Nihil refert. Corrigitur *apprehenſio*, ſi intelligitur, quod auſteritas Dei ſemper ſit *Sancta.* Quidquid enim ſanctum eſt, amabile eſt. Amemus *amore benevolentiæ*, & congratulemur, quod ſit *purum bonum in ſe.* O amabilis *Dominus*! Utinam totus Mundus te diligat! .. O omni amore amabilis Deus! Omni amore amabilis Dominus! ... Ajo: *omni amore*! & nolite, obſecro, ullum *amoris genus* omittere. Dignus eſt *Deus* amore *complacentiæ*: amemus, & gaudeamus, quod ſit, qui eſt, *omne bonum* in ſe! .. Dignus eſt *Dominus* amore *benevolentiæ*: amemus, & optemus, ut omnes ſervi cognoſcant eſſe talem, qualis eſt, *purum bonum* in ſe! ... Amemus etiam amore *Concupiſcentiæ.* Dignus eſt concupiſci a me Deus meus, Dominus meus, *ſummum bonum* pro me! .. Amemus etiam amore concupiſcentiæ! Ex his enim tribus amoribus denique amor ſummus, *amor amicitiæ* componitur, qui non eſt perfectus, niſi præter complacentiam, & benevolentiam de bonis amici, concupiſcat inſuper amico frui, & cum illo cor unum, atque una anima fieri. Amor *amicitiæ* non eſt, qui non

eſt

Digitized by Google

eſt *mutuus* amor. Amemus igitur Deum, non ſolum, quia eſt *amabilis* Deus, ſed etiam quia eſt Deus *amans*. . . Eja! vel ſi rumpatur cor præ amoris vehementia; nihil refert. Nemo noſtrum poteſt felicius mori.

4. Deus ab æterno eſt *Deus*: ſed non ab æterno eſt *Deus meus*: multo minus ab æterno *Dominus meus*, niſi quis abſurde appellare illum velit Deum *nihili*, Dominum *nihili*. . . Itaque in tempore fecit me, ut poſſet eſſe Deus *meus*, & Dominus *meus*. . . Quid deinde? Nunquid rem magnam lucratus eſt Deus, cum factus eſt Deus *meus*, Dominus *meus*? . . Nihil lucratus eſt, qui *omnia* eſt. Hoc uno fine produxit me ex nihilo, ut exercere poſſet ſuam Bonitatem, & haberet, quem æternum beatum redderet. Hoc eſt: Fecit me Deus, ut eſſet *Dominus meus* in tempore, &, ſi obedirem ut Domino, eſſe poſſet *Deus meus* in æternitate. . . Deus enim, Deus erit merces ſervitutis meæ, ſi non ſim ſervus *piger*, aut *nequam*. . . O Merces magna nimis! . . Quid? Non in hac ſola narratione palpatis, Domini! quam ſit *amans* noſtri *amabilis* Deus? . . . Me hæc una conſideratio mirifice afficit: *Deus factus eſt Dominus meus in tempore, ut poſſit eſſe Deus meus in æternitate!* . . . Sed expectate. . . Duæ circumſtantiæ ſunt, quæ *beneficium creationis meæ* mirum quantum extollunt, etſi fortaſſe a nullo veſtrum unquam

expensæ. Nempe creavit me DEUS non cæce, aut invitus, sed *sciens* ac *volens*. Jam attendite, quid istæ voculæ velint *sciens*, ac *volens*. .

5. Creavit me DEUS, non nesciens, sed *sciens*, quid faceret, & quidem per omnem scientiam sciens. Distinguimus in Deo triplicem scientiam. Primam appellamus *scientiam simplicis intelligentiæ*, per quam Deus intelligit, quæ possibilia sint, & quæ non. Creavit me Deus, *sciens*, multos milliones hominum possibiles esse meliores me. Illis tamen in abysso sui nihili relictis, protraxit me. O Deus amans! . . Alteram scientiam vocamus *mediam*, per quam Deus intuetur non, quid *reipsa* futurum sit, sed quid *sub certa conditione* futurum esset. Creavit me Deus *sciens*, quod multi milliones hominum, si in iisdem circumstantiis crearentur, & viverent, in quibus ego creatus sum, & vivo: multo fidelius, multo ferventius ipsi famulaturi fuissent, quam ego: nihilominus me præ illis creavit. O Deus amans! . . Tertia est Scientia *visionis*, per quam Deus ab æterno prævidit omnia, quæ, & quo loco, quo tempore, per quos, quo modo, *absolute* futura sint. Prævidit ergo me fore hominem ingratum, de quo sibi olim esset plangendum cum gemitu: *Pœnitet me fecisse hominem*! Et fecit me tamen, forte quia simul prævidit, fore, ut me mature ac serio ad ipsum con-

ver-

Digitized by Google

vertam. O Deus amans ! . . Væ mihi, si spem amantis *per infamem acediam* malitiose evertam! . . Verum non *sciens* modo, sed etiam *volens* creavit me Deus, *volens*, non invitus. . . . An potest aliquis *invitus* amare? . . *Cogi* ad amandum nemo potest: certum est terminos intelligenti. Potest tamen aliquis vere invitus rapi in amorem. . . Inimicum habes, quem pessime odisti, unaque cum ipso totam ipsius familiam. . . Contingit, ut ad te veniat filiolus inimici, innocens, ingenuus, formosus, facundus. Quantumvis repugnes, senties ab amore te uri. . . . Adami, inimici Dei, filius ego sum. Fortasse ejusmodi dotes in me conspexit Deus, quæ amorem erga me extorquerent vel nolenti amare? Minime gentium! . . Cum nihil essem: imo, quod plus est, cum adhuc inimicus essem, amavit me! . . Dignum odio amavit! adeo nihil in me erat, quod ad amandum vel inclinaret. . . Itaque *volens*, liberrime volens amavit, quia non amavit me ideo, *quod* essem, sed *ut* essem dignus amore. *Amando* dignum amore fecit: & nisi me *ultro*, atque *indignum* amasset: adhuc *nihil* essem, aut *inimicus* ipsius essem, indignus amore. . Enimvero elegans & plena amœnitatis est hæc *amoris historia*. . Sed nondum est finis.

6. Sciens ac volens amavit me Deus, & amavit me *affective* quidem, sicut omnes homines: *effective* autem plus, quam pleros-

que homines. . . . Omnes , omnino omnes *affectu pari* creavit , redemit , Cœlo destinavit: omnes *serio* vult salvos fieri. . . Sed *in effectu*, uti media *sufficientia* ad salutem dat omnibus : ita *abundantia* dat , quibus vult, ita ut dici possit, 'quod alios amet in gradu *positivo*, alios in *comparativo*, alios in *superlativo*, prout cuique plura, aut pauciora talenta, ac gratias sive internas, sive externas largitur. . . Inter quos ego me numero ? . . . Scio, Deus mi! quod multa millia hominum plus, quam me, amaveris, ames, & amaturus sis: Recte! merito! sancte! . . Sed & hoc scio, quod me plus ames, quam multos milliones hominum, puto, plus quam omnes, qui nunquam ex abysso sui nihili emergent: plus quam omnes, qui in umbra mortis, & tenebris infidelitatis sepulti sunt; plus quam omnes, qui nullo concesso pœnitentiæ spatio de peccato in infernum præcipites acti sunt : plus, quam tertiam partem Angelorum amasti me! Superi! Congratulamini mihi! . . . Inferi! non invidetis? . . *Affective* a DEO amor, ut omnes: *effective* plus, quam plerique! . . Et possem super quam plurimos proximius cordi divino me applicare, si vellem cum illis in amando *contendere*! verum sicut Cainum *invidia*, ita me *acedia* impedit, quo minus contendam ! . . Maledicta acedia.

7. Itaque (o pudenda confessio !) sic amatus a Deo (ipse irascor mihi!) difficulter

a me

a me, ut redamen Deum, impetro. . . Equidem ſæpe dico: *O Deus, ego amo te*! Sed linguæ reclamat cor, & dicit: *Mentiris*! . . . Certe ipſe mihi ſuſpectus ſum, an *vere* te amem, Deus mi! . . Quod tu me ames, argumenta habeo, non tot, quin plura! quod autem ego te amem, nullum, nullum omnino ſuppetit, quod convincat. Omnia *dubia* ſunt! . . Dulceſcit nonnunquam pectus ab amoris affectu: ſed quis me ſecurum facit, quod ſit ſincerus? . . Amor eſt aurum, quod, niſi in igne, non probatur. . . Eheu! Ambigua quæſtio eſt, utra miſeria grandior ſit, ſi Creator expers amoris eſſet erga creaturam: an ſi creatura expers amoris ſit erga Creatorem? . . O Deus *amabilis*! . . O Deus *amans*! . . Quantum me iſta cogitatio cruciat! . . Quod amem meipſum, ſcio: utinam ſancte amarem! . . Quod amem aliquos homines, etiam ſcio: utinam omnes caſte amem! Inſuper quod amem opes, amem honores, amem delicias, amem ſanitatem, amem vitam meam, ſcio! ſcio! utinam *moderate* amarem! . . Hoc unum neſcio: utrum *ſerio* te amem, o amabilis Deus! o amans Deus! de hoc dubito! . . O amor, infelix amor, in quot rivulos divideris, qui deberes in unum Deum effundi! . . Cor, quod eſt ſedes amoris, unum eſt. Unum *uni Deo* debetur. . . Unus per omnia prædicata ſua *amabilis* eſt, unus *ametur*! . . Unus me ſciens ac volens *amat*; unus *redametur* a me! . . O *ex omni*

titulo amabilis Deus! O *omni modo* me amans Deus! cæteris donis *donum amoris* adde! . . Imo aufer omnia dona reliqua: unum dona amorem tui: jam dives sum satis! . .

Bene habet, Domini! desiderium amandi exarsit ex consideratione *de motivis amoris.* Erumpat in flammas, & corda omnium beato involvat incendio ex doctrina *de Modo amandi*, quod est

PUNCTUM II.

Modus amandi.

I.

PAucis rem explico. Modus amandi Deum non potest cogitari perfectior, quam quo amatur Deus *omni modo*, & amatur *sine modo.* . Cum dico, Deum amandum esse *omni modo*, intelligo, amandum esse per omnes actus, quos charitas potest *elicere*, & per omnes actus, quos charitas potest *imperare.* Cum dico, Deum amandum esse *sine modo*: volo, ut neque *extensioni*, neque *intensioni* amoris limes ponatur. . . . Porro actus charitatis *eliciti* sunt trium specierum actus, ex quibus dicebam *amorem amicitiæ* coalescere. Amici enim habent *mutuam complacentiam* de bonis, quæ uterque possidet: *mutuam benevolentiam* de bonis, quibus uterque caret: & *mutuam concupiscentiam* reciprocæ præsentiæ, mutuique gaudii de possessione utrius-

utriusque bonorum. . . Certe Deus sic amat me, & *complacet* sibi in bonis, quæ ab ipso accepi: *bene vult* mihi, & optat, ut me reddam pluribus dignum: *concupiscit* meam in Cœlo præsentiam, de mea in se beatitudine *gavisurus* æternum. Sic Deus amat. Æquum est sane, ut sic homo redamet, sic, ajo, hoc est, per eosdem actus *elicitos*, per quos Deus nos amat. . Actus amoris *imperati* sunt actus *obedientiæ* in materia præcepti: actus *Devotionis* in materia consilii: actus *zeli* in usu occasionum laborandi, aut patiendi pro gloria Dei. . . Existimo, *ad hos modos* reduci omnes modos amandi possibiles posse. .

2. In his modis exercuerunt se Sancti. . Et *elicitis* quidem pleni sunt Psalmi. . Quam admirabile est nomen tuum! Ps. 8. En amor *complacentiæ*! . . Laudate Dominum omnes gentes! Ps. 116. En amor *Benevolentiæ*! . . Quis dabit mihi pennas? Ps. 54. En amor *Concupiscentiæ*! . . Circa actus *imperatos* autem Paulus in materia *præcepti* monet, quod Justo Lex non sit posita 1. Tim. 1. quasi diceret: Pro Justo Lex est superflua: quia, ad quæ alii adigi debent per legem ac præcepta: ea justus ultro, & *ex impulsu amoris* agit. . Idem, quid amanti observandum sit in materia *consilii*, docet 1. Cor. 12. hortans suos, ut æmulentur *charismata meliora*, & scilicet obvia sanctitate non contenti, ad consummatam perfectionem aspirent. . Actus zeli, &

Digitized by Google

uſus occaſionum pro gloria Dei pugnandi ita in omnibus Sanctis enituit, ut *in omnem terram* exierit ſonus eorum, qui populis Magnalia Dei inter ſummos labores & infinitas ærumnas prædicarunt. . Quidni ? Deus tam amabilis, Deus tam amans hæc, & plura meretur. . . . O infelices homines, quibus hi *modi amandi* ne de nomine quidem noti erant! Quanquam quid audio ? Devotum Thomam de Kempis audio proteſtantem : *Malo*, ait, *ſentire compunctionem*, *quam ſcire ejus definitionem*! Audiſtis, viri Literati! Sit ita, vult dicere pius Aſceta : ſit ! nota ſint vobis amoris *nomina* : ſi *res* non eſt in uſu : quid proſit vobis iſta ſcientia ? . . Hem ! Surgunt indocti, qui in amoris ſchola *tacere* melius, quam *loqui* didicerunt : ſurgunt cives, ruſtici, fœminæ, quæ in arte amandi *practice* plus profecerunt, quam nos inter ſubtiliſſimas ſpeculationes, de ſpeciebus, de gradibus, de natura amoris. . . Experiri poteſtis, ſi vultis. . . Immixti plebeculæ eja ! Concionem *de gloria Dei ad intra* audiamus. . . Si Orator perfectiones divinas *devote* exaggeret : videbitis rudes, quorum cor amor Dei poſſedit, præ gaudio flere : adeo ſibi *complacent* in bonis Dei, dum nos inſenſibiles ſumus. . Si animentur, ut ament Deum ſuum ardentius, moneanturque, quam multa gloria ſibi debita adhuc careat Deus in terris, rudes ingemiſcunt; movet ſe amor *benevolentiæ* : cupi-

pi-

Digitized by Google

piunt mille corda, ut mille cordibus amare: mille linguas, ut mille linguis prædicare, quem amant, possint, dum nos frigidi, ac immoti adstamus. . Describatur gaudium visionis beatæ, & possessio Dei in gloria: rudes *cupiunt* dissolvi, & esse cum Christo, dum nos adhæremus carni, & sanguini. . Insuper quam multos inter rudes reperietis, qui, si aliquando amare Deum cœperunt, actibus *elicitis* non contenti, *in imperatis* se strenue exercent, dum nos languemus?. . Mori malunt, quam violare *præceptum:* confessarii *consilia* observant ad apicem: quoties se offert *occasio*, hortantur suos ad fugam peccati: incitant ad amorem virtutis: non pecuniæ, non labori, non sanitati, non vitæ parcunt, cum spes promovendæ divinæ gloriæ probabilis micat, dum nos scientia, quæ inflat, pasti umbram captamus: rem negligimus! . . .

3. Eja ad rem! ad rem! *omni modo* amandus est Deus: *omni modo* ametur! . . Male sit *acediæ*, quæ vel *unum modum* excludit! . . . Scilicet actus *elicitos* non horret inertia. Denique *gaudere* de bono Dei, *optare* bonum majus, *cupere* esse cum Christo: non est res tanti, ut non etiam *pigri* velint. . . . Sed fallimini miseri! Nisi actus *eliciti* alios actus imperent: metuo, ne amor vester amor non sit, aut si amor est, *amor sui*, non Dei sit. . . . *Amor Dei serius* manum adhibet operi, & laborat pro Deo, obeditque

ditque *præceptis*, audit *consilia*, trahit secum ad amorem *totum orbem terrarum*. . . . Repuerascere non erubescit, dum se exercet, & alios docet amare Deum. . . Verbum *amo*, dulce verbum conjugat *per omnes modos*, ubique jungens effectum affectui. . . . *Cor* est in perpetuo motu: & quidquid eveniat, sive *pro quovis casu* dicit: amo! . . . *Lingua* obvio cuique imperat: ama! . . . *Memoria* de præteritis cogitans gemit: *utinam amavissem*! . . . *Intellectus* convictus de amabili veritate exultat triumphans: *cum amavero*, beatus ero! . . . *Voluntas* orat, ne spes fallatur, ingeminans; Da mihi sine fine *amare*! . . . Hæc est amoris Grammatica. Sed me *Modus infinitivus* præ cæteris rapit. Modus infinitivus est *Modus* amandi *sine modo*. Ite igitur Modi reliqui: Modus optimus est *sine modo* amare. . . . Fuge acedia! tu semper *modum*, & limites amas! . . Amor est ignis: & ignis nunquam dicit: Sufficit! . . Quam diu materia comburenda non deest, modum neque *in intensione*, neque *in extensione* admittit. Similiter *fortis ut mors* dilectio: perrumpit omne obstaculum. . . Dura sicut infernus æmulatio: nulla præda satiatur. . . semper amplius amor exigit. . .

4. *Extensio* omne *tempus*, & omnem *locum* complectitur, atque insuper omnes *creaturas*

turas amoris capaces: *intensio* dicit applicationem virium corporis & animi nullis limitibus definitam. Eja! quantum potes, tantum aude! non est periculum, ut, sicut in aliis virtutibus, sic in amore Dei *per excessum* pecces. In amore nunquam, nisi *per defectum*, peccatur... *A se solo* Deus *satis* amatur: ab aliis omnibus *minus*, quam meretur... Infinitum meritum est... Igitur sicut nunquam possumus nimis credere *veracitati Dei loquentis*: aut nimis fidere *Fidelitati Dei promittentis*: sic nunquam nimis amare *Bonitatem Dei amabilis*, & *amantis*... cum Bernardo sentimus: *causa amandi Deum Deus est: Modus sine modo diligere*.. Lumen triste! nam in hac luce quantos defectus in me amoris video, defectus *extensionis* æque ac *intensionis*!.. *Si de extensione* cogito: quam arcti sunt limites, quos circa locum, tempus, personas exercitio amoris posui!... Memini, dixisse me aliquando; amore Dei modestus *in templo* ero! tanquam *extra templum* oculus Dei me non videret!... Dixi heri: *per hoc triduum* amabo Deum, & hujus tridui omnes horas impendam saluti animæ! quasi post hoc triduum cessaret Deus esse amabilis!.. Semel amore Dei uni pauperi benefeci; uni inimico ignovi: uni animæ periclitanti succurri: deinde cessavi, quasi non *in omnibus*, quod uni facio, Christo facerem!.. Siccine? ecquis terminos charitatis adeo con-

strinxit,

ſtrinxit, niſi *acedia* fecit? . . . Idem vitium quam *extendere* limites refugit: tam atrociter *intenſionem virium* odit. . . O Cœlum! quam facile pro Deo fatigor! . . Caro aggravat ſpiritum, velut ſi ſub onere laboris deficeret! . . Spiritus quam fervide incipit, tam tepide proſequitur, & frigide deſinit immemor illius: *Dico ego opera mea Regi!* Pſ. 44. Faſtidium invadit animam: vexatur corpus a ſomno: Nugæ nugarum a ſeriis curis abſtrahunt. . . Et ſic ſervit Deo, qui dicit: *o Deus, ego amo te!* . . .

5. Anima decepta! . . deceptrix anima! . . . qua prudentia tibi de amore Dei blandiris? . . . Qua ſpe oculis ſimplicium illudis, ut videaris eſſe, quod non es? . . . Quid excuſas? . . - *Infirma* ſit caro; quid tum? . . . amorem *ſenſibilem* ſi a te peteret Deus, obſtaret *infirmitas*, & ſenſibilis illa alteratio humorum forte vires attereret. Sed amor *rationalis*, amor *ſpiritualis* poſtulatur, qui non a ſenſibus, ſed ab internis animæ potentiis, quæ alterationi non ſubjacent, efficitur. . . . Ita eſt, ais, quando *de actibus elicitis* ſermo eſt. Verum *actus imperati* vires omnes proſternunt, illi præcipue, qui exigunt locum incommodum, tempus diuturnum, famem, ſitim, vigilias, ſudorem, ſanguinem, vitam! . . Ah! tandem *noſce teipſum* homo piger! Loquela tua manifeſtum te facit. *Galilæus es tu*, homo vagus poſt

veſtigia

vestigia cupiditatum tuarum, quas *acedia* poscit.. Fatere tandem: nunquid & tu ex discipulis hujus farinæ es?.. *Verbotenus* didicisti amare Deum, prætereaque nihil. Grande Minerval tuæ Magistræ debes!.. Si vere amares Deum, nunquam in ejusmodi querimonias effunderetis. Nam ars est mirabilis sancti amoris: spinas in rosas commutat: quidquid *in sensu* se movet horroris; amor delicias putat. Jugum, & onus, & labor quid sit: amor non scit. .Quid: quod mori pro Deo *in lucro* ponat! . . Mori *in amore*, Sanctorum est: mori *pro amore* Martyrum: mori *præ amore* non nisi animarum selectarum præ mille: age! possesne felicius alia morte mori! . . Vade mecum, anima mea! in cœmeterium imus. . . . Lamentabilis scena! . . accingere! lege Epitaphia hic sepultorum! causas mortis in singulis singillatim examina, & Protocollo ad memoriam posterorum inscribe. . . . Ecce tibi! Maxima pars cadaverum hic putrescentium est illorum, quos vinum, venus, aut ira occidit! . . . Ingens turba res & spes suas in viridi ætate una cum vita sua obsequiis mortalis Heri per immanes labores, curas, & pericula, belli, domique consecraverunt! . . Pauculos reperies, qui ex laboribus pro Deo susceptis, paulo maturius, quam constitutio corporis patiebatur, mortui sunt! . . . tu quod genus mortis ex tribus (cum necessario ex his unum te maneat) eligis tibi?

bi? . . Mori *per acediam* mavis, quam *per fervorem*? . . Sapiens electio! habes, unde tibi de prudentia gratuleris. . . Vah! tanti est tibi vita tua? . . Cui igitur vivis? . . . Ah! sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. . . Domine JESU! tua tibi vita tanti non fuit, ut non in optima ætate immolares amori meo: & ego tanti æstimem vitam meam? . . Tandem *hoc fine vivo*, ut pretiosa sit mors mea in conspectu Domini: nam si pretium mors non habet, optima pars vitæ, & *ultimus actus* sine pretio est. . . Absit hoc! *Lux mundi* sunt homines literati. Consumitur candela, si lucet. Consumatur, modo *in ara* potius, quam *in abaco* luceat. . . .

Colloquium.

O DEUS *amans*! o DEUS *amabilis*! amabilis *in omnibus prædicatis*! amans me *omni amore*! quam me piget *acediæ* amoris mei! . . Tandem comprehendo *Motiva amoris*: nec jam obest, mi DEUS, quod non videant te oculi mei. Nunquid enim *merum animal* sum? . . vel an non est in me alius amor, aut alia facultas amandi, quam *sensualis*? . . Amor est inclinatio voluntatis ad objectum amabile. . . Non inclinat me *sensus*: attamen *Intellectus* per Rationem ac Fidem inclinat in omnem *modum amandi*: in actus *elicitos*, & *imperatos* inclinat.

Gau-

Gaudeo de bonis, quæ habes! *cūpio* bona, quæ non habes! teipſum poſſidere *mihi* deſidero *propter te*, o DEUS meus, & omnia!.. Ex amore obedire decretum eſt alacriter tuis *præceptis*: ſtat ſtrenue ampleƈti *conſilia*: certum eſt uti *occaſionibus* heroice agendi, ac patiendi pro gloria tua! . . . Ita te *omni modo* amabo, & inſuper *ſine modo*, cum omni *extenſione*, ſine exceptione loci, temporis, & perſonarum: cum omni *intenſione* per promptiſſimam applicationem virium corporis, animique! . . . Paucis: JESU! *ſicut tu amaſti me, ſic amo, & amabo te!* . . Ita, ſic amabo! . . . Vivat in me JESUS! ſic amabo. . . .

Sub Miſſa.

Exercitium amoris *ex forma Præcepti primi & maximi inſtituitur. . . . Exemplum veri & omnibus numeris abſoluti amoris JESUS in cruce reliquit. Ecce!* Sic DEUS Mundum dilexit, *ſic, ut cor totum, totam animam, totam mentem, omnes vires amori imolaverit. . .* Sic Homo diligat! . . . *JESUS hoc amoris ſui ſacrificium voluit* modo incruento *quotidie repeti in ſuam, & amoris ſui commemorationem, ut exempli quotidie inſpeƈti vis fortius traheret in ſequelam. Eja! videamus viſionem hanc magnam! videamus, & æmulemur!* . . .

Digitized by Google

Immolatio cordis exhibetur ab initio Missæ usque ad Evangelium. Immolatio animæ ab Offertorio usque ad Præfationem. Immolatio mentis ab Elevatione usque ad Agnus DEI. Immolatio virium, & ipsius vitæ a Communione usque ad finem . . Singulas contemplemur.

Ad Introitum. *Quid est ex toto corde amare? Est, non dividere cor, sed* unum uni DEO *affigere, sive nihil amare* contra DEUM, *nihil* præter DEUM, *DEUM* plus quam omnia. . . . *Sic JESUS dilexit. . . . Ab ipso introitu in hunc mundum nunquam ulla creatura particulam cordis ejus possedit: totum* DEUS *possedit, & homo* propter DEUM. . . . *Auditis?* . . Gloria in Excelsis DEO! *Ecce! hanc* cordis *intentionem statim, cum natus est JESUS, Angeli evangelizaverunt. . . . Eandem jam antea viri a DEO illustrati prædicaverant, & ex illis Ecclesiasticus in Epistola Missæ hodiernæ ex c.39.* Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum. . . *Hoc idem postea ipse in Evangelio docuit, in quo hodie ex Matth. c.5. legimus hæc Christi verba*: Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. . . . *Sic homo diligat! . . Dicamus cum Sacerdote Hostiam & calicem offerente:* Suscipe sancte Pater! *suscipe cor*

meum

meum! Quantum est, tuum sit. Dissipatum est eheu! in plura objecta: amavit præter te multa, non propter te: imo contra te amavit! Pœnitet! Cor contritum tu non despicies!..

Ad Præfationem. *Quid est ex tota anima amare? Est, amare* per omnes affectus *animæ.... Sic JESUS dilexit.... Habuit* gaudium, *sed non, nisi de bono DEI:* desiderium, *sed non, nisi de gloria DEI:* timorem, *sed non, nisi de periculo animarum:* tristitiam, *sed non, nisi de offensa DEI:* iram, *sed non, nisi de inimicis DEI.... Sic homo diligat!.. Orate,* orate Fratres, *ut nostri affectus nos similiter afficiant: nec se aliis objectis, quam DEO, affigant....* Sursum corda!.. *Sancti, sancti, sancti sint omnes affectus nostri Domino DEO nostro!..*

Ad Elevationem. *Quid est ex tota mente amare? Est, suum Intellectum atque Judicium, quidquid* Ratio naturalis *contradicat, voluntati DEI ad Abrahami exemplum in spem contra spem sperando sacrificare.... Sic JESUS dilexit!... Heu! affigitur patibulo DEI Filius, & in aëra elevatur!...O spectaculum, ad quod merito sol & luna exhorruerunt... Fluit ex latere divinus Sanguis, & pro homine*

peccatore effunditur! . . . O consilium, quod Angeli obstupescant! . . Humana *Ratio opponebat se huic decreto, tanquam minus honorifico, & nimis difficili. Coegit adeo ingemiscere Christum :* Transeat a me calix iste! . . . *Verum amor continuo jussit hominem inferiorem tacere : & superiorem docuit aliter loqui:* Non mea sed tua voluntas fiat! . . *sic homo diligat. . dicamus :* Pater noster! fiat voluntas *tua sicut* in cœlo *de me, ita* in terra *a me! . . Quidquid obmurmuret vetus Adam: fiat voluntas tua! fiat* de me! *fiat* a me! . .

Ad Communionem. *Quid est ex totis viribus amare? Est, caput, oculos, linguam, manus, pedes, corpus, sanitatem, ipsam vitam gloriæ divinæ immolare. . . . Sic JESUS dilexit! . . . Ecce* Agnus DEI *in ipso vitæ flore mactatur DEO, & coram tondente, imo excoriante se obmutescit. . . . Sic homo diligat! . . .* Domine, non sum dignus, *ut ad exemplum tuum cruenta victima tibi per martyrium cadam. Sed tu* Anima Christi sanctifica me! *Ita nullum deinceps laborem* profanum *agam. . . . Si mori pro te non licet : liceat saltem reliquos vitæ dies tibi uni vivere : & vires non in alio, quam in tuo famulatu atterere.* Ita me adjuvet omnipotens & misericors Dominus Pater, & Filius, & Spiritus S. . . *Sedeamus*

Con-

Consideratio
De signis amoris.

EXemplar *serii amoris* vidimus: *signa* in nobis videamus. *Serio* agenda res est: neque enim DEO servire *ad speciem* sufficit sic, ut multi hominibus ad speciem serviunt. . . . Lex nova *Lex amoris* vocatur, quia primum, & maximum mandatum est *amare Legislatorem*, id quod præter DEUM nullus Legislator ausus est imperare, nempe quia Principes nostri amorem quidem à suis *mereri* possunt: *præcipere* non possunt, nisi velint se risui, sannisque exponere. . . . Porro si ista *Lex amoris*, quem DEUS præcepit, observetur, hoc est, *si ametur Legislator*: statim *amor legis* sequetur, quoniam qui amat *Legislatorem*, ab hoc ipso amore urgetur, ut amet *legem*: hilariterque, ac minime tristis, aut invitus obediat. . . Nimirum *spiritus internus* amantem agit: unde opus non est, ut *exterius* per minas aut promissa ad obediendum compellatur. . . Etiam cum solitarius agit, *serio* agit, nihil *attentus* ad oculos hominum, sed unice *intentus*, ut placeat ei, quem amat. . . O ut ab infantia assuefierent Christiani *ex hoc spiritu* vivere! Jam nullus daretur Hypocrita: nullus servus nequam; nullus servus

Digitized by Google

piger, eo quod nemo ad agendum *ab extrinseco*, uti machina, moveretur. Anima animæ *amor* urgeret *intus*. . . . Nempe hic amor Legislatoris, si est *serius*, non est *otiosus*, nec *in affectu* subsistit. . . . Si *serius* est amor, operatur, & si non operatur, amor non est. . . . Quid autem operatur? Ajo: tres alios amores producit. Operatur enim *Conversionem*. Conversio autem est *cordis versio:* & versio cordis est *versio amorum*. . . . Quos igitur amores producit? eos scilicet, quos in corde Christi produxit, quippe qui est nostri amoris Exemplar. . . . Dicebam autem jam heri, Christi vitam *tria verba* componere, orare, laborare, pati ex amoris imperio, cui ille obediebat *cum gaudio*, qui amabat, & obediendo amorem probabat. . . . Sequitur, si nos de simili amore velimus esse securi: *ex his signis* formandum esse judicium, num amor noster sit *serius*. . . *Acedia* nos decipit, nisi amorem Dei amor *orationis*, amor *laboris*, & amor *crucis* probent. . . . Colligite animos ad attentionem: & *de singulis* quisque seipsum probet. Hactenus alia omnia amastis: jam vertite amores, & hæc tria amate.

Pars

Digitized by Google

Pars I.

Amor orationis.

1. HÆc tria, inquam, amate, qui *serio* Deum amatis. Et primus quidem amor sit *amor orationis*. . . Sine dubio qui amat Deum, libenter conversatur cum Deo, atque colloquitur. Anima enim nostra magis est, *ubi amat*, quam *ubi animat*: & experimur, nihil esse amanti *jucundius*, quam esse cum amato: nihil accidere *molestius*, quam a familiari cum illo consetudine avelli, nisi id ipsum, bonum, aut imperium amati exigat. . . . Itaque omnes Sancti mirifice *Orationem* amarunt. . . . In angello cum libello manebant solitarii ad Christi triginta ipsos annos vitam occultam viventis exemplum: neque prodibant in publicum, nisi *Ratio vocationis*, hoc est, nisi *obedientia*, aut *charitas* imperarent. . . Dulcedo conversationis cum Deo sic animum afficiebat, ut horam orandi impatienter *expectarent*: ab orando non sine gravi mœrore *avellerentur*: ad orandum, quanta possent, maxima cum festinatione *redirent*. . . Igitur si tu ingemiscis, cum hora psallendi adest: si verba præcipitas sine modo, ut citius exsolvas pensum: si studiose quæris impedimenta, per quæ ab oratione honeste abesse possis, & pro excusato haberi:

beri: ipsissima *acedia* habet te: noli dicere, quod ames Deum, quam diu jucundum non accidit *loqui Deo.*

2. Neque tamen existimes velim, de amore *sensibili* sermonem fieri, seu de affectione animi *ad orandum*, & *sub oratione* tam tenera, ut ejus dulcedo redundet in corpus. Scio, hujusmodi sensum sæpe esse partum Naturæ phlegmaticæ: raro esse in potestate orantis: plerumque esse gratiam Spiritus S. qui animam ita suaviter afficit, quam, quando, & quamdiu vult. Quod hic urgeo contra *acediæ* molimina, geminum est documentum. Primum, *ne devotioni sensibili ponas obicem*, quod ab hominibus animalibus fit, qui in delicias sensuales, in pastum, in somnum, in venationes, in musicam, in ludos, in choreas, in nugas effusi, sicut delicias Spiritus non intelligunt, ita nec appetunt: ideoque *Exercitamenta devotionis* vix, nisi aut ex aridæ consuetudinis lege, aut honestatis causa ad speciem suscipiunt, mente vagi per silvas, per hortos, per theatra, per domos, per forum, dum corpus in templo est. . . . Alterum: *ut orationis usum saltem appretiative ames*, contra ac illi faciunt, qui tempus male sibi perire existimant, quod orationi impendunt. . . . *Fuga vitæ mollis*, de qua heri est dictum, *prioris documenti* executionem perficiet: & est operæ pretium, ut *per contemptum voluptatum anima-*

lium

Digitized by Google

lium minus indignum te facias *sensu lætitiæ spiritualis*, qua superfluit anima, quam Sponsus introducit *in cellam vinariam.* Quanquam enim *substantia devotionis*, sive *fervor affectionis ad cultum Divinum* possit esse mere *rationalis*, quin ullo modo se communicet *sensui*: tamen certum est, miris modis juvari animam, confortarique contra *acediæ* insidias, si *caro simul cum spiritu* exultare in Deo possit, gustareque, quam suavis sit Dominus. . . . Ut *posterius documentum* deducatur in praxin, juvabit expendere, legereque, & relegere, quæ de necessitate, utilitateque orationis Sancti senserunt, atque scripserunt. Non potest non orationem *super alias occupationes* quantumvis speciosas omnes *appretiare*, qui reputat animo, benedictionem de cœlo *aliis omnibus*, non nisi ab oratione venire. . . Sint *sanctæ* etiam aliæ occupationes: non tamen fient *sancte*: sed fient luride: fient cum fastidio: fient impatienter: fient ex vanitate: fient sine successu, nisi illas *oratio* antecedat, comitetur, & prosequatur. . . *Septem petitiones* quotidie iterandæ ex voluntate Christi abunde ostendunt, nihil bene, nihil feliciter fieri, nisi *ab amante orationis.* . . Laboras hac intentione, ut per te *sanctificetur* nomen Domini, *ut merita* cumulentur, ut fiat *voluntas DEI*: non fiet bene, *nisi oraveris.* Laboras *pro pane*: affligis te pro obtinenda

venia, pro *tentationum* victoria, pro exercenda *patientia*: non fiet bene, nisi tuo labori *orationem* adjunxeris. Vides, quanti hæc occupatio sit? . .

3. Enimvero tædium tam universale, quo plerosque virorum (nam fœminæ passim ab orationis amore abripiuntur *in excessum*) affici in orando videmus, *in affectionem* se verteret, puto, si primum intenderent animum *ad desiderium devotionis sensibilis*: deinde *æstimationem orationis* quantumvis aridæ (ceteris paribus, & quando sana ratio, aut obedientia non obstant) super omnes alias occupationes *practice* exercerent, *toties* orando, *quoties* ratio status, & conditionis tempus concesserint *ex arbitrio* impendendum. Profecto *desiderium devotionis sensibilis* pareret contemptum nugarum: *contemptus nugarum* sensum dulcedinis, quæ afficit spiritum: *sensus dulcedinis* appetitum frequentiæ, & *frequentia* experientiam fructus, *experientia* æstimationem, *æstimatio* autem affectum tandem, & *amorem* . . . Homines *negotiosi*, atque *vitæ activæ* curis, & laboribus addicti frequentarent orationes *breves* ad cujuslibet occupationis initium: *longiores* autem statis diebus ac horis. . . Homines *otiosi* vero somno & nugis *modum* statuerent: horis diei *certum ordinem* ponerent: sensim *contemplationi*, qua occupatione nihil est jucundius, assuefierent. . . .

Verum

Digitized by Google

Verum quoniam omnis homo, nemine excepto, sicut *ad orandum*, sic *ad laborandum* suo tempore, loco, & modo, natus est: *ad exterminium acediæ* non minus necessarius est *amor laboris*, quam *amor orationis*, quod docebit considerationis

Pars II.

Amor laboris.

1. HAud dubie, qui amat Deum, cupit placere Deo, ideoque facere, quæ placent Deo, sive, quæ Dei voluntati conformia, aut ad gloriæ incrementum proficua sunt. Propterea Christus: *Ego*, inquit, Joan. 8. *quæ placita sunt ei*, *facio semper*; facio alacriter, facio cum cura, & sedulo: atque in his *laboribus fui a juventute mea*, Psalm. 87. in variis, in assiduis laboribus. . . Quod fecit ipse, voluit, ut nos faceremus: *Negotiamini*, *dum venio*! Luc. 19. dixit, quasi diceret: si me amatis, *amate laborem*! amor Legislatoris excitet amorem hujus legis: *Laborandum est*! nam *servus piger non salvatur*. . . Ejicitur in tenebras, ubi erit fletus non tam de malis commissis (nam talento non est *abusus*) quam de bonis omissis, ad quæ præstanda illo *uti* debebat, & *per acediam* neglexit . . . Nempe nos servum, *qui laborem non amat*, domo pellimus: & volumus

lumus, ut DEUS laudet *otiosum*, etsi fortasse malitiosus non sit? . . Volumus, ut dicat: *Euge serve bone*! ei, qui ne quidem *servi* titulo dignus est, homo *in Ecclesia* supernumerarius, *in Mundo* superfluus? . . . Servi est servire: servitus autem *laborem* dicit, quem adeo qui non amat, non amat *servitutem*, atque ita nec *Dominum* amat, quippe cui *cum gemitu* servit, cupiens esse *liber*. . . .

2. Est autem varius labor, pro vario statu, & tempore. Est alius labor capitis, alius aurium, alius oculorum, alius linguæ, alius manuum, alius pedum: atque ex his alius hic & nunc *præceptus*, alius *arbitrarius*. Qualiscunque sit, *amabitur ab amante*: a non amante plerumque fastidietur, nisi metus pœnæ, aut tristis necessitas, aut spes lucri vel laudis sustentet diligentiam, sive, quod idem est, ex servo *pigro* faciat servum *nequam*, qui, dum servire *DEO* videri vult, servit *sibi*. . . . Quid? si labori *ordinario* accedat *extraordinarius*, quem circumstantiæ postulent? . . . Quæ erit cordis inquies? . . Quis tumultus affectuum? . . Quæ pugna rationum pro & contra certantium? . . Qui conatus transferre onus in alienos humeros molientis? . . Quæ tristitia & impatientia frustra repugnantis? . . Hic fructus est *acediæ* affectionem ad labores statui, ac officio proprios impedientis. . . . Malum! Officia quærun-

runtur *pro hominibus*, ut habeant, quod manducent: melius *homines* quærerentur pro Officiis, ut essent, qui laborent. . . Boni viri *commoda* in officiis, quæ ambiunt, quærunt: *onera* fugiunt, aut, si multum præstant, ferunt *per alios*, quibus decimam partem proventuum pro labore paciscuntur: ipsi reliquos fructus facientes suos *sine titulo juris*, & dissipantes cum prodigo aut *nihil*, aut *male*, aut *aliud*, quam oportet, agendo. . . Tremit animus ad cogitationem de severitate reddendæ Rationis, cum isti frugiperdæ interrogabuntur a Judice divino de administratione officii, imo decem officiorum, in quæ tanto impetu involarunt, non ex amore laboris, sed ut haberent, unde otium ac luxum lautius alerent. . . . Aliter audientur, qui duobus aut quinque talentis ditati, superlucrati sunt alia duo, alia quinque. . . . Aliter qui cum dicit herus: *vade*! vadit: cum dicit: *veni*! venit: cum dicit: *fac hoc*! facit ad omne imperium promptus, ac alacer. . . . Aliter, qui postquam hospites primum irrita excursione invitavit ad nuptias: iterumque in vias & sepes festinans cæcos ac claudos collegit: *necdum satur laboris* stitit se Domino, & ad novum laborem se offerens dixit: factum est, quod jussisti: *& adhuc locus est*! . . . Enimvero de ejusmodi servo gloriabundus Dominus, insultansque Satanæ cum plausu dicit: *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra*?

Job.

Job. 1. Beatus Servus, quem invenerit Dominus sic vigilantem, sic laborantem! Quis est, qui sic considerari se a Satana velit. . . Laudabimus eum! . . .

3. Audio querulantem : *Non recuso laborem.* Sed quid faciam? sæpe, cum vellem, non possum : *non sum dispositus.* . . . Debeo huic objectioni respondere cum cura, quia vix est alius angulus, in quem se recipit fugitiva *acedia* cum majore contra persecutores suos securitate. . . . Indaganda est causa *malæ dispositionis*, & excutiendæ latebræ, quæ belluam condunt. . . Quæro igitur: quis est sensus hujus prætextus : *Non sum dispositus*? vin' dicere : *non possum*! an: *non lubet* laborare? . . . Si primum dicis: necesse est, ut, cum non possis, quod alias poteras: *mutatio* facta sit in aliqua parte corporis, sive solida, sive liquida. *Per partes solidas* cujuslibet membri ossa intelligo, carnes, & nervos, quorum læsio vel a violentia, vel a casu efficitur *exterius* : vel ab intemperie succorum per coagulum aut putrefactionem causatur *interius.* Ejusmodi aliquid si contingat, obstandum esse principiis mali, a labore abstinendum, morboque vacandum, sana Ratio imperat, præcipue si *sensus doloris* sensim se acuat. . . *Partes liquidæ* succi sunt, sive humores, sanguis, phlegma, bilis. In his mutatio temperiei sæpe a lunatione, a vento, a defectu circula-

cula-

Digitized by Google

culationis, a cibi & potus seu qualitate, seu quantitate, a calore vel frigore originem habet. Remedium nisi diæta, & somnus ferant: iterum amori laboris *amor crucis* succedat: *patientia* malum vincetur. . . Verum humorum perturbatio plerumque matrem habet *phantasiam*, aut *vitium*: atque tunc *defectus dispositionis* voluntarius, imputabilis, ac non raro *caudatus* est, dicentique: *non sum dispositus*! respondere debet animus generosus: *fac, ut sis*! . . Amor proprius mentitur, cum ait: *non possum laborare*! dicere deberet: *non lubet*! . . Quid sit consilii in tali casu, paucis habe. *Phantasia* apprehendit laboris hoc genus vel pro inutili, vel pro nimis molesto: *corrigatur*! convincat te Ratio de necessitate, utilitate, facilitate, jucunditate, gloria: & *continuo eris dispositus*, quia spiritus a falsa imaginatione sopitos *Ratio* excitat, haud secus ac somno oppressum strepitus grandior. . . Si non a phantasia, sed *a vitio* fastidium venit: *vince teipsum*! & amores contrarios, amorem somni, amorem ludi, amorem conversationis, amorem musicæ, curiositatem, gulam, garrulitatem &c. amori laboris vel ad quadrantem subjice: spondeo! *iterum eris dispositus*. . . Uti cum servo, ita tu tecum age. Si servo imperasti laborem, & ille dicat: *modo non sum dispositus*! age! num patiens audis? num ab homine *amari*, imo num *timeri*

meri te credis? . . . Pigrum canem aut equum calcaria & flagra *disponunt* ad cursum: hominem *stimuli amoris*, si adhibeat, urgent, eique non *laborem* modo, sed *crucem* etiam amabilem faciunt, uti demonstrabit considerationis

Pars III.

Amor Crucis.

1. QUi amat amicum, odit *inimicum amici*, omnibusque modis persequitur, vel *quia nocuit*: vel *ne noceat*. Ita qui amat Deum: odit inimicum Dei, hoc est, *veterem hominem suum*, de præteritis offensis multis ac gravibus reum: & in præsenti tempore amare Deum cupienti multis modis molestum. . . . Quid intelligitur *hominis veteris* nomine? Intelligeris *tu*, seu potius tuus *homo inferior*, hoc est, *appetitus*, sive inclinatio ad malum *morale* cum fastidio boni, natus ex amore bonorum, ac malorum *sensus* afficientium, circa quæ *actus humani* versantur tanquam circa suam *materiam*. . . . Hic appetitus alio nomine *amor sui ipsius* appellatur *inordinatus* propterea, quod contra ordinem Naturæ naturantis, quæ appetitum *Rationi*, Rationem *sibi* subjecit, non raro in bona *sensibilia*, Ratione etiam reclamante, feratur. . . De hoc sui amore intelligendus est

Paulus

Digitized by Google

Paulus Rom. 6. cum dicit: *vetus homo noster simul crucifixus est* (cum Christo) *ut destruatur corpus peccati* per virtutem crucis Christi primum *in se*, quod in baptismo contingit: deinde *in suis effectibus*, quod fit *successive*, cooperando gratiæ Christi per mortificationem, seu *abnegationem sui*, cujus duplex est exercitium, primum: negare carni, quod *inordinate* appetit, *bonum sensibile*: alterum: ferre, vel inferre, quod *inordinate* fugit, *malum sensibile*. . . Atque ex hac explicatione intelligitis, Domini, in quo consistat beatum illud *odium sui*, sine quo (ita Veritas loquitur Luc. 14.) nemo potest esse *Christi discipulus*, nimirum ex hoc ipso capite, quia schola Christi est *schola Crucis*, quam utique nemo amat, nisi qui odit se, ut Deum amet. . .

Scio, doctrinam hanc non esse ad captum *veteris hominis*: sufficit autem, si capiat illam *homo renatus ex aqua & Spiritu sancto*: nam ad ipsum *executio* pertinet. . . *Homo vetus* multorum scelerum, & adeo mortis reus est: *Crucifigatur*! . . Crux *instrumentum* est, per quod vindicamus *in nobis* injurias *a nobis* illatas Deo tam amabili, tam amanti, tam amando: *Amemus crucem!* Crux *vexillum* est, ad quod vocat nos Dux belli sacri sub victoriæ, & æterni triumphi sponsione, si contemptis commodis, incommodisque hujus vitæ, fideliter premamus

cruenta vestigia: *Amemus crucem*! . . Crux *lignum* est, ex quo alitur amoris focus ferrum purgans, & probans aurum: *Amemus crucem*! Salve, *o bona crux*! . . . Vocabulum horrorem habet: res bona est: Amemus rem! Natura crucem horret! . . Natura *animalis*: fateor equidem. Quid tum autem? Si Natura *rationalis* in cruce *rem bonam* invenit: credendum est *rationi*, non *sensui*, sicut cum de sumenda medicina fit sermo, non attendimus nauseam *stomachi*, sed consilium *Medici*. . . Et cum de via ad victoriam deliberatur: non audimus, quid de asperitate itineris querulentur *uxor*, ac *liberi*: sed sequimur, quo *Dux* cum vexillo præcedit. . . . Et cum de elaboranda corona agitur: auri massa non traditur *nummulario*: sed *artificis* arbitrio commendatur. . . Medicus noster dicit: *Qui amat animam suam, perdet eam*, Joan. 12. cur displicet aphorismus? . . Dux noster inclamat nobis: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie*, Luc. 9. . . Quem præ ipso audiamus? solus ipse *verba vitæ æternæ habet*, Joan. 6. . . Artifex noster vult emi a se *aurum ignitum* Apoc. 3. ex quo nobis coronam cudat: num æquum videtur recusare cusorem? *Nunquid dicet lutum figulo suo: Quid facis*? Isa. . .

3. *O bona crux*! merito *diu* desideranda, *sollicite* amanda, *sine intermissione* quærenda! Acci-

Accipe me; redde me Magistro meo; per te me recipiat, qui per te me redemit! . . . Pugnent intra me *Sensus* & *Ratio*, uti Esau & Jacob, de pretio crucis: deinceps semper *Rationis* sententia stabo. . . . *Amor sui* directe opponitur amori Dei: & si volo amare Deum, debeo odisse me. Si enim amo me: incommoda & molestias fugio, individuas amoris divini socias. Si autem hæc ita sunt: jam cum amore *crucis*, etiam amorem orationis, & amorem *laboris*, hoc est, omnem amorem DEI saltem *effectivum* abjeci: & necesse erit paulo post *affectivum*, ac denique *appretiativum* extingui. . . Et quid deinde? Eheu! Deinde creatura *expers amoris* ero! creatura infelix, creatura *amoris expers*! . .

Non erit vobis hoc Domini! amatis Deum: & decrevistis hodie omni modo, *&* sine modo *amare*, *quia omni modo* amabilis, *&* sine modo *amans est. Ite vero, & amorem vestrum, donec* a prandio *redeatis, probate. Probationem* Examen *dabit, utrum* Orationem, *utrum* laborem, *utrum* crucem *ametis. Si isti tres* amores *in vobis sunt, gratulor: nam* amor DEI *vobiscum est. Æternum sit*! . . .



Dissertatio
De vita dissoluta.

Laudetur JESUS Christus!
℟. in æternum!

Ita: Laudetur, & ametur! Ametur infinite amabilis, infinite nos amans Deus! ametur omni modo! sine modo ametur!.. Ametur autem? Qui non est amans, amens est, cui Apostolus merito anathema *dicit* 1. Cor. 16.... Anathema! *Quid est hoc? Est* Maledictus a Christo! .. *Absit! absit hoc malum a nobis!.. Tempus nostrum* tempus amantium *deinceps erit, tempus omnia, quæ agimus, agentium* ex amore... *Verum an non fallit vos* amor proprius, *Domini! &* amorem Dei *mentitur?.. Varias ille personas agit: examinastis? Si falli non vultis, nunquam credite, quod amor vester sit amor Dei, si est amor* solitarius, *nec habet alios amores comites, amorem orationis, amorem laboris, amorem crucis. Audistis mane: & ex his indiciis amorem Dei verum a falso discernere didicistis... Verum* Acedia *hos comites odit, quia amica est* dissolutionis, *oditque vincula inimica* licentiæ, *qualia sunt oratio, labor, crux.. Scio: & intelligo, his amoribus grave impedimentum poni ab inordinato amore libertatis, a quo plerique ita se abripi sinunt, ut puteut,*

tri-

tristem vitam esse, nisi dissoluta *sit, hoc est,* liberrimi arbitrii, *ita, ut nec actiones* ordinem, *nec passiones* frænum *habeant. . . . Error pessimus! & sufficiens, ut omne consilium ad exterminium acediæ conceptum sufflaminet. . . .* Vitæ dissolutio *certe non potest componi cum lege amoris, quia amor* utrumque hominem *ad nutum dilecti format:* utrumque *autem deformat dissolutio,* exteriorem *actiones sine ordine,* interiorem *passiones sine fræno. . . Ambo mala describam exactius, & remedia suggeram. Sedeamus.*

Pars I.

Actiones sine ordine.

1. HOmo *exterior* est velut domus animæ. Solet autem, qui amicum excipit hospitio, non solum *se* vestire, sed & *domum* ornare ad hospitis gustum. Id si negligit, significat, parum sibi curæ esse, quid hospiti placeat: parum acceptam ipsius præsentiam. . Porro *præter munditiem,* quam suppono, quis est præcipuus *Ornatus domus*? certe *ordo rerum,* ex quibus suppellex componitur, quæ quantumvis pretiosa sit, offendit oculos, nisi suus cuivis mensæ, sellæ, picturæ, speculo, aulæo destinatus sit locus, unde concinnitas ordinis efficiatur. . . Similiter sentire debe-

Digitized by Google

mus *de ordine actionum.* Confusio displicet: Ordo te, & tua Deo commendat: *te*, quia si ex ordine agis, *arbitrarie* non agis: *tua*, quia melius fiunt, certiusque, quæ fieri debent. . . . In compendio dixi, quidquid ad commendationem Ordinis dici potest. Expendamus cum mora.

2. Ordo te Deo commendat. Experientia docet, eos, qui sine ordine vivunt, plerumque *otio* marcere, interdum *negotiis* obrui, semper *ex impetu* agere, suaque lubedine. . . Plerumque, quibus *selectus ordo* agenda non determinat: indifferentes, & deliberabundi horas cum fastidio perdunt, *nihil agendo*, quia nesciunt, quid agere debeant. . Interea coacervantur negotia: Epistolæ, quibus responsum debes: causæ, quæ Examen expectant: Rationes, quarum inspectio desideratur: in molem crescunt vel aspectu horrendam, quæ, quoties in oculos incidit, animum fastidio afficit, nullis stimulis jam superabili. . . Certe, si quando etiam vincit se homo, vel ab ipsius otii tædio ad laborem determinatus: non consulit rationem, quid prius, quid posterius sit agendum: non sustinet diutius attentionis molestiam: obvia excusatio sufficit, ut se a continuatione absolvat, insuper habitis non raro, leviterque contemptis subditorum querelis, amicorum monitis, creditorum gemitibus, pauperum lacrymis, conscientiæ clamoribus. . . Paucis:

Digitized by Google

cis: ubi nullus est Ordo actionum: aut *nihil* fit: aut quod fit, *male*, vel obiter fit: aut *aliud* fit; & nempe non, quod oportet fieri, sed quod lubet. Putas, eum, qui ita vivit, vitam vivere Deo gratam? . . Atque hic vitæ modus prorsus exactus est ad *Acediæ* regulas: nihil agere, male agere, aliud agere propria sunt *servo pigro* prædicata, ex quibus ille utique *laudem a Domino* sperare non potest. . . Contra, qui *ex ordine* vivit: nunquam deliberat, quid sit agendum: determinatur *ab hora*... Nunquam agit ex impetu inclinationis, atque lubedinis: *Ratio ordinis* sapienter statuti ad agendum hoc præ illo impellit. . . Quis non videt, eum, qui ita vivit, *ex verbis* simul, & *ex adverbiis* vivere a Deo præscriptis? volo dicere: eum non solum agere, *quod* vult Deus, sed *quo modo* vult, puta: Sapienter! devote! diligenter! Hæc autem *tria adverbia* profecto non solum *operantem*, sed etiam *opus* DEO commendant. . Quid enim ultra DEUS possit exigere ab homine, quam ut, quod a nobis fieri vult, *certo* fiat, & *bene* fiat? . . Utrumque beneficium *a cura ordinis* venit.

3. Sed reclamat *Acedia*, negatque vitam *ex ordine* homini in Seculo viventi possibilem esse. . . Inanis vociferatio est: & jam alibi in libello de Grat. Vocat. Sacerdot. demonstravi, nemini difficilem esse posse *divisionem temporis*, per quam quilibet pro ratione sui status ac conditionis certum ho-

rarum, numerum (nisi *extraordinarius* casus accidat) non facile mutandum sibi designet, alium, quem consecret *Deo* pro anima sua: alium, quem *negotiis*: aliumque, quem *necessitatibus corporis* determinet, propter Deum. . . Hic illis irascor, qui Legi Ordinis submittere caput nolunt, quia assueverunt *abusui*, per quem ordo naturæ offenditur, stertiturque de die, & laboratur de nocte.. Gravis perversio!.. Nam qui sero dormitum concedunt (Exempla docent) ex centum vix unus laborat *utiliter*. . . Qui enim sunt ejusmodi vigiles?.. Sacerdotes sunt, qui postquam diem venando, ludendo, potando perdiderunt: hora undecima nocturna arrepto breviario: *Domine, ad festinandum me adjuva*! ingeminant: & inter multas cum Morpheo rixas quotidianum pensum deblaterant. . . Nobiles viri sunt, qui, postquam diei dimidium consumpserunt in plumis, quin Solem vidissent: Planetam nimis celeriter properare in occasum criminantur, ideoque accensis facibus majorem noctis partem comburunt. . . . Officiales Reipublicæ sunt, qui suadere nobis volunt, se in noctis silentio gravissimas causas, & negotia tractare felicius, quam si primo mane se ad pulpitum figerent. . Crederemus fortasse, nisi sciremus Auroram Musis amiciorem esse, quam noctem: & si audiremus bona nova aliquando de celeri expeditione causarum ad lampadem elaboratarum. Nunc vereor, ut istæ noctuæ, dum oleum bi-

Digitized by Google

bibunt, operam perdant. . . Accedit & illud malum, quod, qui diu vigilant, similiter diu dormiant, atque in multam lucem, unde fit, ut vix aliquando per annum ad publica Exercitia Religionis compareant: in nulla concione videantur: de usu frequentiore Sacramentorum non cogitent: Missæ sacrificio in sacello domestico assistere pæne post meridiem, prope inter opera supererogatoria numerent, quanto cum detrimento suæ famæ, suæ conscientiæ, ipsius Religionis, non facile dixerim. . . Sed frustra hæc querimur, nisi securim ad radicem ponamus. Causa, cur apud plerosque *actiones* sint sine ordine, est hæc, quod *passiones* sint sine fræno. Videamus.

Pars II.

Passiones sine fræno.

1. INdex horologii per ordinem horas signat, quam diu rotulæ interiores recte se movent. Similiter de homine *exteriore* loquendum est, quam diu *interior* pacem habet. Pax enim est Augustino Doctore *tranquillitas ordinis*, qualem in civitate laudamus, in qua *subordinatio* Statuum *tranquille*, & sine tumultu, sine vi coactiva, sine contradictionibus, ac querelis observatur, suoque quilibet officio secure fungi, & bonis

bene partis frui potest. . . Ejusmodi Pax hominem beabat in statu primæ innocentiæ, in quo DEUS *extra nos* per singularem providentiam cavisset, ne sive ab elementis, sive a belluis, sive ab hominibus aut dæmonibus aliquid pateremur inviti: *intra nos* autem effecisset, ut inclinationes sensuales nunquam se contra imperium rationis movissent. . . Nunc utroque privilegio nos peccatum Adami spoliavit. Paci successit bellum: nec nisi per bellum recuperari potest illa *tranquillitas ordinis*, qua tunc fuissemus gavisi. Nisi *per bellum*, ajo: nam etsi, dum vivimus *extra nos* nunquam non contra Mundum ac Dæmonem bellandum sit, *intra nos* tamen concupiscentias nostras per frequentata prælia, juvante Domino, sic debellare possumus, ut vix, idque raro in motus etiam primo primos erumpant, nisi sana ratio imperet. Per bellum igitur fit pax, & *tranquillitas ordinis* in homine *interiore* componitur, ita ut affectus rationi, & ratio DEO sine contradictione obediant. . .

2. Sed bellum *Acedia* refugit, labores pertæsa. Propterea *non est pax impiis*, dicit Dominus. . . *Impii quasi mare fervens*, quod a furentibus ventis nullo fræno coercitis perflatum, jam in altissimos montes effertur, stellas feriens: jam in profundissimas valles subsidit, inferos pulsans, a quibus denique navis post ruptas anchoras, post scissa vela, post

fra-

fractum malum, post clavum amissum, tot agitationibus impar cum omni mercium apparatu sorbetur. . . Hæc est imago cordis, in quo affectiones utriusque appetitus impune tumultuantur. . . Movet ad tumultuandum phantasia plerumque: non raro etiam Ratio. . *Phantasia* de præsente, aut imminente sive bono, sive malo per sensus edocta, contempto aut non expectato Rationis imperio, appetitum concupiscibilem in amplexum boni, irascibilem in fugam mali sensibilis abripit... *Ratio* jam per phantasiæ mendacium, jam per præjudicium, jam per usum hominum, mores mundi, & opiniones vulgi decepta, *bonum* pro malo, *falsum* pro vero, *parvum* pro grandi considerat: ideoque ut illud obtineat, aut hoc effugiat, omnes affectuum vires colligit, quin & nonnunquam putat se obsequium Deo præstare, cum gravissimum scelus imperat, sicut factum esse in Deicidio a Judæis commisso videre est. . . Uterque fons tot perturbationum in quanta mala exundet, neminem latere potest. . Vos Domini expendite proinde, quanta sit necessitas fræni Passionibus injiciendi. . . Frænum est *imperium moræ*. . . Per moram judicabit intellectus, an *Phantasia* non fallat: & an *Ratio* non fallatur. . . Quando igitur movet se Passio: antequam *in actum externum* erumpat: assuesce interrogare teipsum illis Dei verbis ad Jonam: *Putasne bene irasceris tu*? ita, ut nec *in causa* pecces, nec *in modo*? . . Putasne

ne, bene *amas?* . . Bene odisti? . . bene *cupis?* . . bene *fugis?* . . bene *gaudes?* . . . bene *tristaris?* . . bene *speras?* . . bene *desperas?* . . bene *audes?* . bene *times?* . . Ecce! per hanc praxin sensim disces esse *Dominus tui*, qui huc usque tuorum affectuum fuisti mancipium! . . . Et o quam turpe, quam miserum mancipium! . . Non ita calamitosa fuit servitus populi Dei sub Pharaonis, quam tua, sub Passionum tyrannide. . . Non *orare*, non *laborare*, non *pati* pro Deo lubuit, quoties Passio animum perturbabat: toto impetu tunc *acedia* cor invasit, rursum occupatura domum, unde tempore tranquillitatis exulare debuerat: ipse *amor Dei* amarus esse videbatur. . . Quis *ordinem actionum* speret ab homine, in quo *corpus* animæ, non anima *corpori* dominatur? . .

3. Dices: bonum consilium est *imperium moræ*: sed *invita natura* quis exequatur? Naturam expellas furca, tamen usque redibit, præcipue postquam *altera natura*, scilicet *consuetudo*, accessit. . . Per temperamentum *ad iram* sum pronus: *in amores* abripior: *jocis* inhio: *laudes* affecto: *suspicionibus* crucior: quid faciam? Vix *objectum* Passionis apparuit, pax animi perit: displicet statutus *ordo actionum*: quidquid antea sapiebat, fastidio. . . Scio, Domini, hæc ita contingere: scio insuper, difficilem esse correctionem naturæ: sed impossibilem esse nemo dicere au-

Digitized by Google

audet: & ego affirmo, amanti Deum etiam facilem fore. . . Dixi, *amanti Deum*, serio nimirum, & non ad speciem mere. Amor enim naturæ motibus & invigilat, & imperat. . . *Invigilat*, ne *sine justa causa* erumpant: *imperat*, ne vel deficiant, vel excedant *in modo*: imo imperat, ut, qui hactenus serviebant *ad malum*, aut impediebant *bonum*, jam debeant servire ad bonum. . . Notetur artificium: totum *in mutatione objecti affectuum* consistit. . . Exempla doctrinam explanent. . . *Sanguineus* es: Natura ad amorem vanitatum, ad delicias sensuum, ad recreationes & nugas inclinat. Inclinet: tu muta *objectum* amoris, atque pro nugis assuesce amare *seria*: ecce! Sanctus jam erit amor, qui fuerat vanus. . . *Phlegmaticus* es: Natura laborem horret, & ad somnum afficitur. Afficiatur: tu muta *objectum* affectionis, somnoque naturali substitue *mysticum*: ecce! Sancta jam erit affectio, quæ fuerat vitiosa. . *Cholericus* es: Natura ad impatientiam & iram est prona. Prona sit: tu muta *objectum* iræ, & quod aliis irasci soleas, irascere *tibi*: ecce! Sancta jam erit ira, quæ fuerat peccaminosa. . . *Melancholicus* es, tibique & aliis gravis propter inanes apprehensiones, per quas in mœrorem conjiceris, in quem phantasia te conjicit. Conjiciat: tu muta *objectum* mœroris, & falso malo substitue verum, tuaque, aut aliena peccata deplora: ecce! Sanctus jam erit mœror, qui fuerat stultus . .

Vi-

Digitized by Google

Viden', quid *amor* possit? Non *hominem* tantum, & *bovem*, hoc est, tractabiles *naturas* currui divinæ gloriæ alligat: Sed *aquilam* etiam, & *leonem* cicurat ad eundem laborem. . Procul hinc absint levissimæ excusationes *pigrorum:* non sum dispositus! ad plura non teneor! vivo, ut mei similes! non sum Religiosus! Sanctorum exempla potius miranda sunt, quam imitanda! cum sexcentis similibus: *Qui diligit Deum, nihil negligit* Eccl. 7.

Epilogus.

ITa: Qui diligit, nihil negligit, sive in *Actionibus* ordinandis, sive in *Passionibus* frænandis: alterutrum enim qui negligit, aut non diligit Deum, aut non diliget diu: nam *actiones*, quas ordo non commendat, non laudat Deus: & *passiones*, quas amor non frænat, interimunt hominem. . . *Victoria sui ipsius* opus est ad hunc finem, ut vitæ dissolutæ limites ponantur: non nego. Sed *amor omnia vincit*, si modo *serius* amor sit, sive amor, qui *serio* acediam dissolutionis parentem odit, persequitur, mortificat, occidit. . . . Juvat hoc *sanctum odium* denuo inflammare adversus vitium, quod quamdiu patimur, omnes amoris conatus *inutiles* reddit. Parum huc usque dixi. Plura dicere necesse est, quia pauci sunt, qui funestos hujus vitii effectus satis apprehendunt; atque quanta damna hoc

ma-

Digitized by Google

malum & toti humano generi inferat in tempore: & singulis hominibus præparet pro æternitate, nemo credit! nemo credit! nemo credit!.. Videamus. Surgite! sit

MEDITATIO II.

De damnis acediæ.

PUncta sunt duo: *Acedia est vitium toti humano generi perniciosum in tempore*, hæc est materia Puncti 1mi. *Acedia est vitium singulis hominibus periculosum pro æternitate*, hoc est argumentum Puncti 2di. Fructus sit *horror acediæ.* Amori propria *lætitia* est: & nihil magis contrarium, quam languor, tædium, frigus. Oremus ergo Dominum *per amorem*, quo amabilis est, ut expellat a nobis *spiritum acediæ*, dicentes cum Psalmista: *Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis*, Domine!... *Viam iniquitatis amove a me: & de lege tua miserere mei*!...

PUNCTUM I.

Acedia est vitium perniciosum in tempore.

COmmunitas, cujus quilibet nostrum aliqua pars est: imo *totum humanum genus*, ex Apostoli sensu, 1. Cor. 12. est aliquod *corpus*

Digitized by Google

pus morale, cujus multa ſunt membra, quæ tamen non omnia eundem actum habent. . Magiſtratus in tali corpore eſt *caput*: Miniſtri ſunt *oculi*: Conſiliarii *lingua*: Officiales *manus & pedes*: Cives *cor*: reliqui ſtatus ſtomachi, pulmonum, hepatis &c. munus obeunt. . . Si ponas jam, in corpore reperiri membrum *inutile*, adeoque *ſuperfluum*, quale eſt ſtruma in collo, ſextus digitus in manu, gibbus in tergo: quid cenſes? non illud quàm *turpe*, tam *moleſtum*, imo *noxium* eſſe, toti corpori judicas?.. Ajo vero, tales *per acediam* fieri homines: judica, num *pernicioſum comunitati* vitium eſſe male judicaverim. . . Caput eſt Magiſtratus. Aureum caput ſit: ſi eſt *ſine cerebro*, caput Statuæ eſſe poteſt, non Comunitatis. Talem autem acedia facit Superiorem, qui ab obligatione laboris ſe eximit. . Oculi ſunt Miniſtri. Sint multi, & ſelecti: quid tum? ſi non laborant, oculi ſunt, quales Pavo oſtentat, dum explicat pompam caudæ: omnes cæci. . . Lingua ſunt Conſiliarii, Doctores, Prædicatores: ſi pigri ſunt, muti ſunt: cui bono occupant locum linguæ? . . Manus & pedes ſunt Officiales: amor otii, tenet homines: chiragra, podagraque laborant: ipſi officium habent: ſed officium non habet ipſos. . . Cor ſunt Cives, ſed cor oppreſſum a Polypo, qui circulationem intercipit, ſi laborem non amant. . Denique in quocunque ſtatu ſitis: ſi pigri eſtis, idem eſt, ac ſi hepar non amplius purificet ſan-

ſanguinem: Stomachus non concoquat cibum: Pulmones nec reddant, nec accipiant Spiritum. . . . Enimvero nullum ex his membris *ſuperfluum* eſt corpori: ſed ſi per otii vitium fit *inutile*: quis non videt, ex hoc ipſo capite *turpe* fieri? . . Mihi certe inutile, & turpe ſynonyma ſunt. . . Neque credo, laudari ab aliquo poſſe homines de numero illorum, de quibus Poëta cecinit: *Nos numerus ſumus: & fruges conſumere nati.* . . .

2. Quid? quod turpitudini, per quam ab otioſis infamatur Communitas, accedat ingens *moleſtia*, præcipue ſi, ut fit, multiplicentur? . . Ponite, pleroſque homines perpetuo *infantes* manere: quam intolerabilis Mundo hæc plaga foret? . . Infantes moleſti eſſe poſſunt, utiles non. . . Laborare pro illis alii debent: ipſi laborant pro nemine. . . Non ſerunt, non arant, non occant, non metunt ſibi: & vorant tamen: non viva *hominis otioſi* imago ſunt? . . Quanquam cur infantibus comparo? Moleſtiam, quam faciunt infantes, ſpes compenſat, fore, ut creſcant in viros Reipublicæ utiles. . . Non ita nos *otioſi* ſolantur. Animalia ſunt, non ex illis (demus hoc interim) quæ propter ſævitiem odimus, qualia ſunt tigrides, Leones, Pardi, urſi, lupi, a quibus rarius damnum venit: ſed ex illis, quæ quam minuta ſunt, tam moleſta ſunt, & ſua multitudine, & vexationum importunitate. . . Ægyptus experta eſt, quid

ranæ, quid cicadæ, quid muſcæ, quid ciniphes poſſint in affligendis hominbus: & quis eſt (nam quid opus eſt argumenta a longe arceſſere?) quis eſt noſtrum, qui non pulicem usque ad mortem perſequitur, quin attendat, num ille ex nobili, an ex ruſtico ſanguine natus ſit? Cur vero? nimirum quia animal eſt, quod non ſuo labore ſe ſuſtentat, ſed ex noſtro ſudore, & cruore nutritur. . . Quid? an ovum ovo ſimilius eſt, quam pulici homo piger? aut an turba pigrorum Rempublicam minus, quam corpora exercitus pulicum infeſtat? imo ſi cum pigris hominibus conferas, innocentes ſunt pulices, quia, ut ſint *moleſti*, non tamen ſunt *noxii*, nec occidunt alentem.

3. Pigri autem, quanta inferant damna Communitati, ex cujus beneficio vivunt, dici non poteſt. . . Quidquid in hanc diem *in natura* incultum eſt: quidquid *in artibus* imperfectum: quidquid *in moribus* crudum, barbarum, improbum: pigris debemus. . . Terra ſterilis eſt, quia nemo arat: aqua putreſcit, quia nemo movet: aër corrumpitur, quia nemo agitat: ſolus ignis ſemper conſervat ſe, quia ſemper in motu eſt. Concludimus, quam *maligna* ſit natura pigritiæ. . *Totus Mundus in maligno poſitus eſt*, ita Joannes Apoſtolus queritur (audeo dicere) per pigritiam. . . . Ecce enim! dormitur in aulis, dormitur in curiis, dormitur in tribunalibus,

dor-

Digitized by Google

dormitur in castris, dormitur in scholis, dormitur in Ecclesiis: & quid fit? *Cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania*, Matth. 13. ita cœpit languere *Religio*, claudicare *Oeconomia*, male habere *Justitia*, *Politia* deficere. . . Verum *in lucro cessante* non sistitur malum: gravius est damnum emergens. . . Totus mundus *in malo igne* est positus: & quia qui extinguere deberent, dormiunt, quidquid malorum querimur, debemus pigritiæ. . . *Cælum cæli Dominus* suæ curæ reservavit: factum bene! secus pigritia cœlum etiam corrupisset. Nunc quale fuit, cum creabatur, quin alteraretur, permansit. Suspicite! adhuc aureæ stellæ pavimento infixæ micant: adhuc luminare majus diei, & luminare minus nocti præest: adhuc ordinatissimi motus Orbium sunt in signa, & tempora, & dies, & annos. *Terram autem dedit filiis hominum Deus*: hinc tanta mutatio, & *illæ lacrymæ*. . . Qui positus erat in paradiso, *ut operaretur illum*, cum otiaretur, peccavit. Ejecto in exilium statim terra tribulos & spinas germinavit. Inde varia illius fortuna fuit. . Erant singulis seculis, qui *renovare faciem terræ* magno cum labore aggrediebantur, neque sine fructu. Sæpe culti sunt agri, ædificatæ urbes, plantatæ vineæ, constitutæ civitates, congregatæ Ecclesiæ. . . Erant vero singulis item seculis, qui per execrabilem tyrannidem bonorum labores perdiderunt. Vastarunt

 agros,

agros, incenderunt urbes, destruxerunt vineas, everterunt leges, Evangelium corruperunt. Ingens damnum! Sed hominum culpa! Dominus *terram dedit filiis hominum*, ut colerent: reddent rationem, qui non coluerunt. . . Ego hoc dico vobis: multum mali homines improbi intulerunt: sed damna, quæ a pigris mere *nihil agendo* illata sunt orbi, majora sunt omnibus beneficiis diligentium, & omnibus maleficiis sævientium. . . Itaque nemo pro fabula rideat Cantipratani narrationem de legatione Luciferi olim ad Concilium Parisinum missa. Etiam hodie Principes tenebrarum habent alicubi, unde propter imperii sui incrementa quotidiana gratias agant Principibus Ecclesiarum, Principibus Cathedrarum, Principibus Scholarum, Principibus Monasteriorum, Principibus curiarum, Principibus familiarum. Si enim in Parochiis regnat inscitia, si in Republica invaluerunt abusus, si pueritia negligitur, si juventus corrumpitur, si disciplina collapsa est inter Religiosos, si modestia & devotio cessavit vigere inter Clericos, si religio inter cives eviluit, si inter fœminas licentia & luxus, inter viros potandi, ludendi, scortandi libido in laude ponitur: quam dicemus esse tanti mali radicem, nisi quod dormiant, qui vigilare deberent, *commoditatesque* officiorum suorum frui contenti, abjiciant *onera*, aut in humeros transferant ferendis non pares, ne quidem, utrum ferantur, indagare solliciti. . .

Infe-

Infelix Seculum decimum ſextum teſtis eſt veritatis, quam dixi: & nemo vir bonus negat, neceſſariam tunc *Reformationem* fuiſſe non *doctrinæ* quidem, quæ variari non poteſt, cum ſit divina: ſed *diſciplinæ*, ac morum, qui non aliunde magis, quam per hominum nobilium, ac literatorum ſupinam inertiam per omne genus ſcelerum contaminati erant. . . . Laudem mereretur Lutherus, ſi tantum negotium ſuſcepiſſet paratior, & ſanctius peregiſſet. . . Nunc irruit in ovile non per oſtium legitimæ vocationis, ſed aliunde, ut latro, per furioſam rabiem petulantis ingenii cum effronte audacia, per quem *exterminavit maceriam* ſanæ fidei, intra quam adhuc tenebantur oviculæ, conformiter ad lamentum Davidis Pſal. 79. *Exterminavit eam aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam*, nunquam utique tantum facinus vel auſurus, vel effecturus, niſi homines dormiviſſent. . . .

4. Nunc intelligo, Domine, quare dixerit Apoſtolus tuus: *Oportet eſſe hæreſes*! & quare dixeris tu: *Oportet eſſe ſcandala*! Hæreſes & ſcandala (poſſes enim impedire) *permittente te* fiunt, ut per intervalla temporum homines nobiles ac literati expergiſcantur, tanquam quorum pigritia tanto eſt pejor, quia illi *poteſtatis* auctoritate, iſti conſilio & *eloquentia* deberent curam boni communis temporalis æque, ac ſpiritualis ſu-

ſtinere. Quantum eſt malum, cui medicina adeo amara præſcribitur! . . . *Ne, quæſo, indigneris Domine, ſi loquar! tabeſcere me facit zelus meus!* Si vitium tam turpe, tam moleſtum, tam noxium eſt *acedia*: ut quid tot pigri, tot inutiles, tot noxii homines tam diu terram occupant? . . Qui non laborat, is volente Paulo, neque dignus eſt, *ut manducet:* tradatur ergo in manus Medici! affigatur lecto, quem adeo amat! medice, id eſt, miſere vivat: fameat, ſitiat, ſudet, fleat, ejulet præ doloribus! Qui *agendo* ſuper accepta talenta nihil lucrari voluit, diſcat *patiendo* lucrari! æquum, & juſtum eſt. . . . Quodſi nec hoc velit, *moriatur*! faciat alteri locum, qui ad obtinendam veniam, gratiam, & gloriam, Reipublicæ, tibi, & ſibi ſtudioſius vivat! . . Divitem quemdam lego, ut primum *de otio* cogitavit, dicens: *Anima mea, habes multa bona: requieſce!* continuo audiviſſe vocem de cœlo dicentem ſibi: *ſtulte, hac nocte tollunt animam tuam!* . . . Sic bene: Moriantur *cito*, qui magis optant *diu*, quam *bene* vivere! . . . Sed quis Enthuſiaſmus me agit: . . Stolide! non tu contra teipſum dixiſti ſententiam? . . Non tu es ille vir, qui ex hoc ipſo capite laborem horres, ut diutius vivas? . . Sancti optent diu vivere: bene optant. Optant enim, ut poſſint laborare diutius. Ego vero cur opto? . . . Fatendum eſt, quod ipſa ratio vitæ loquitur. . . . Domine! *appetitu ſpurio*

vitam

Digitized by Google

vitam longam opto mihi. Appetitus eſt *animalis*, quod cupit eſſe, *ut ſit*. . . Ratio & Fides quid dicunt? vitam longam optabilem eſſe dicunt, prout *utilis* eſt: nam ſive vivimus, ſive morimur, *Domini* ſumus, nunquam *noſtri*. Ergo qui non *Domino*, ſed *ſibi* vult vivere, æque inſipienter agit, ac qui *ſibi* vult mori, non *Domino*, ſeu Domini cauſa, aut ex Domini voluntate, ſed ex impatientia vitæ. . . Intelligo, quod vita *longa* non ſit medium certius præ vita brevi ad vitam beatam. . . Imo deſiderium vitæ longæ plurimis impedimentum eſt vitæ beatæ, quia vitam beatam non niſi *laborando* meremur: qui autem diu vivere cupiunt, laborem horrent, ne vitæ noceant! . . . Ita decipi amamus! . . . Ipſe ego ſimilia axiomata alui: *Parce tibi! cura valetudinem! Non eſt fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. Melior eſt canis vivus, quam leo mortuus.* Vah! quis me ſic faſcinavit, ut hæc dictamina non pro ſibilis ſerpentis agnoſcerem? cujus enim hæc lingua, niſi ipſiſſimæ *acediæ* eſt? . . . Novi multos mei ſimiles, quibus Bacchus, Venus, Mars, curas curtioris vitæ non excitant. . . . Et ſi mundus vigilias, ſudorem, fatigationem, jejunium, curas, in Muſæis, in choreis, in ſylvis, in itineribus inter mille variationes iniquæ tempeſtatis imperet: nihil queruntur, nec valetudini timent. . . . Tunc ſolum vita in periculo eſt, quando laborandum eſt ex

beneplàcito Dei. . . . Stulta cogitatio! Nunquid enim curæ meæ pro vita mea adjicient horam unam? . . Deprecor! O qui plasmasti me, miserere mei! posthac curam *longæ vitæ* tibi relinquam: ego curam *vitæ bonæ* habebo. . . . Vivere Christus erit, Christus in laboribus multis, in laboribus assiduis a juventute sua! . . . Si moriendum est, JESU mi, *in dimidio dierum meorum*, sicut tu mortuus es, quid tum? *Pauci* sint dies mei, modo *pleni* sint. . . . Quanquam nonne tu vitæ Dominus es? igitur ut vitam protrahas, oro, non tamen alio fine oro, quam ut redimere tempus possim *per acediam* perditum! . . .

5. O mala acedia, nam & aliud malum tibi debeo. *Qui contemnunt Deum*, quales sunt, qui faciunt voluntatem ejus negligenter, *erunt ignobiles*, 1. Reg. 2. & *negligentur* similiter. Exempla vidi. In statu Religioso, Clericali, & Seculari *pigri* ultimo loco ponuntur. Patroni, si sapiunt, ad beneficium, aut officium conspicuum certe pigrum non præsentant: prohibet conscientia: metus infamiæ vetat. . . . Promotores ipsi, quando quis præsentatur, interrogant: Quid didicit: Quid fecit? velut ex præteritis ominantes de futuro. . . In bene ordinata Republica officia non venduntur plus offerenti: non dantur magis indigenti: non attenduntur (nisi cum cætera sunt paria) aut

merita

Digitized by Google

merita Majorum, aut nobilitas ſanguinis, aut cognationis propinquitas: fruſtra clamas: *jam me tangit ordo: ego ſum ſenior!* Antefertur, qui *dignior* eſt. . . . Ita piger conjicitur in impatientiam: roditur ab invidia: curis pro pane exeditur: redigitur ad incitas: deſperat. . . . Si tamen aliquando contingat promotio, quacunque demum via: ſi piger locum inter primos obtineat in Monaſterio, inter Parochos in Clero, inter Senatores in urbe: ſcilicet indignabitur vulgus hominum: prudentiores autem ridebunt, niſi inſuper aperte vel oculte id agant, ut poſt paulum ſe prodat homo, quam indignus ſit gradu, in quem elatus eſt patrocinantium manibus. Deeſt *facultas* miſero, ut officio fungatur bene, quia annos, ex quorum bono uſu aptitudo comparanda fuiſſet, male perdidit: & deeſt *voluntas* onera officii cum honore portandi, quia otio jam nimis diu aſſuevit. Quid fit? Denique fit, quod factum eſt ſervo pigro: *abundanti*, & jam quinque officiis conſpicuo *dabitur*, & adjicietur etiam ſextum, ex quo huc usque piger alebatur: & jam alias nihil habenti, *etiam quod habet, anſeretur ab eo*, Matth. 5. Quot vidi tales? quot novi? quot hodie audio ingemiſcentes: *nunc prudentior eſſem, ſi eſſem junior!* . . . Nimirum vexatio dat intellectum, utinam non ſero nimis! . . Domine! gratias debeo, quod per hæc exempla docueris me, quam ſit acedia *vitium pernicio-*

nicioſum in tempore! . . . . Amas me, amabilis DEUS! . . Tot argumenta, quibus exoſam eſſe tibi pigritiam demonſtras, oſtendunt ſatis, quam a me *ſerio* amari velis. . . Amabo ſerio: & *per odium acediæ* amorem probabo! . . .

Optima probatio, Domini mei! io! exardeſcat amplius *odium vitii*, non modo *pernicioſi in tempore*, ſed etiam *periculoſi pro æternitate.* Illud expendimus ad nauſeam: jam hoc expendamus, quod eſt Meditationis

PUNCTUM II.

Acedia vitium periculoſum pro æternitate.

1. ACedia vitium eſt, quod facit hominem inutilem Mundo, moleſtum Reipublicæ, noxium communitati, ſive commiſſiones, ſive omiſſiones inſpicias: inſuper indignum facit vita longiore, & dignum communi contemptu, atque odio univerſali. Tam gravia damna ſufficere poterant ad ſuſcitandum odium vitii in animo Deum amantis. Verum cum hæc ſint tantum *vitæ præſentis* mala, quæ a multis leviter contemnuntur: juvabit etiam conſiderare mala *vitæ futuræ* ex eodem fonte manantia, & *Deum amanti* ſupra modum formidanda, nempe *longum*

purga-

Digitized by Google

purgatorium, quod ſemper, & *infernum*, qui ſæpe acediam excipit. . . . Utriusque veritatis magnum momentum eſt, dignumque attentione ſingulari. . , . Attendite.

2. Ajo: ſemper longum purgatorium acediam excipit, *ſemper*, quia acediæ deditus neque pro ſatisfactionibus propriis per pœnitentiæ exercitium præſtandis, neque pro alienis per indulgentias participandis multum ſolicitus eſt: *longum purgatorium*, quia multa debita ſunt, pro quibus oportebit ſatispati: & vix aliquis, qui pro tali ſe offerat vadem. . . . Age enim: quas animas purgatorium tenet? Nunquid nec valde ſanctas, nec valde impias? Itaque languidos innocentes, & languidos pœnitentes: *Iñocentes*, qui ſola peccata mortalia horruerunt, incurii venialium: *Pænitentes* de ſola confeſſione ſolicitos cum ſatisfactionis negligentia. . . . Semper tales purgatorium manet. Ibi & Bonitas, & Juſtitia Dei nos cruciabit, miris ſed veris modis. . . *Bonitas* cruciabit, quia faciem ſuam abſcondet mihi. . . Quia labem ingrati animi amantem tam vehemententer adeo frigide redamantis exprobrabit. . . Impetus erit velum abripere, & in amplexum ire: ſed illa ſe ſubtrahet, & ego pro Deo meo inanem nubem captabo. . . Si dixero: Quare faciem tuam abſcondis? *Mutatus es mihi in crudelem*? Job. 30. Reſpondebit: Quoties ſteti ad oſtium cordis clamans:

mans: *Aperi mihi ſoror mea!* tu autem amore lectuli tui retenta ſurgere noluiſti, ut aperires? Pœna talionis affligeris: meruiſti. . . . *Juſtitia* cruciabit, rigide ingeminans: *Solve quod debes!* ſatisfacere noluiſti: ſatispatere igitur. . . . Heu! *Manus Domini* tanget me, manus gravis, & terribiliter feriens, quia ego *digito* tangere nolui onera aliis communia! . . Quid conſilii? . . Miſeremini mei, ſaltem vos amici! vos liberi! vos fratres! vos hæredes! vos Con-Sodales mei! miſeremini! nam crucior in hac flam̃a! . . . Fruſtra clamabis. Pœnarum *una* erit etiam *oblivio amicorum.* Omnes dormient. . . Pulſabuntur, cum ad tumulum efferetur cadaver tuum,campanæ: cantabitur Requiem: & forte, ſi miles es, etiam inter ſtrepitus bombardarum ſepelieris, pompa magnifice triſti. Quid poſtea? Memoria tui cum ſonitu periit: & finito officio vix erit, qui deinceps erga te ſit officioſus. . . . Domini! non ille præ aliis ſapit, qui damnata acedia, ſibi *per ſe* providet: neque in alieno auxilio ſpem ponit, ſed in ſua diligentia? Plumæ lectuli, chartarum folia, libri ſuſpecti, & reliqua *fomenta acediæ* in ignem! in ignem! Cremabo vos, ne cremer a vobis particeps furtorum pretioſi temporis, quod toties rapitis ad abuſum! . . Neſcitis, quid petatis, homines inſenſati! qui toties dicitis: *Purgatorium non curo, modo in cælum veniam, vel ſi usque ad diem judicii*

ſit

Digitized by Google

ſit ardendum ! . . . O homines nullius judicii ! nam quid vult ſibi hoc votum ? Non, quod acedia totos, quanti eſtis, poſſideat, prodit ? . . . Nihil curare purgatorium, & quod usque ad diem judicii a DEI conſpectu abſis: Superi ! *amans Deum* ſic loqui poteſt: fallimur ! Acedia, non amor ſic loquitur, acedia, quam ſicut purgatorium ſemper, ita infernus ſæpe expectat. Væ tibi ! Res eſt plena periculi, ne, qui usque ad diem judicii Deum videre non deſideras, æternum non videas ! . . .

3. Errant, qui acediam inter vitia capitalia ultimo loco poſitam eſſe ideo arbitrantur, quod leviſſimum ex illis ſit, imo ſi Cœlitibus placet, pæne innocens vitium. Ego dico vobis: Angelos omnino omnes, homines autem fere omnes, qui in inferno uruntur, propter acediam uri, ſolis illis exceptis, quos Divina Juſtitia, ut loquimur, in flagranti comprehenſos, propter aliud flagitium repente occidit, uti Scriptura de filiis Judæ Her & Onan, aliisque commemorat. . . . Equidem de Angelis ex communi ſenſu docemur, cauſam ruinæ fuiſſe ſuperbiam. Si tamen rem inſpiciamus penitius, intelligemus, a ſuperbia veniſſe initium, ab acedia complementum funeſtiſſimi lapſus. . . . Creati erant beatitudine naturali ſupra modum beati. Volebat Deus nihilominus, ut contenderent ulterius, & ad beatitudinem

ſuper-

Digitized by Google

ſupernaturalem, quæ in viſione, & amore Dei beatifico conſiſtit, adſpirarent, atque id (uti plerique volunt) per liberam ſubjectionem præſtandam legi latæ, ut Deum-Hominem ſuo tempore adorarent, felicitatis ſummam hac ſubmiſſione promerituri. . . . Tum vero movit litem *ſuperbia*, num deceret puriſſimos ſpiritus Deum in carne, hoc eſt, Deum humiliatum revereri? . . . Non viciſſet tamen, opinor, niſi acceſſiſſet *acedia*. . . Ardua res erat, ultro Naturam Angelicam humanæ ſubjicere: nam etiam *qua homo* futurus erat Chriſtus, Dominus Angelorum. . . . Felicitas, qua per naturæ beneficium actu fruebantur, tanta erat, quanta poterant eſſe contenti. . . . Tæduit igitur majorem appetere per laborioſam victoriam ſui. Hem! *acedia*, ſimilis illi, per quam plurimi hominum ita animo comparati ſunt, ut jure Cœli continuo abdicare ſe vellent, ſi poſſent in terris vitam ſine ærumna æternam vivere. . . . Igitur Angelos acedia perdidit: & eadem quotidie homines in interitum trahit. Agite enim: deſcendamus ad inferos, miſeraſque animas in quæſtionem vocemus, cur unaquæque venerit in hunc locum tormentorum. . . . Fateor: confuſi clamores erunt: aliique ambitum, alii æmulationes, alii ſuas fraudes & furta, alii gulam, alii iracundiam, plerique luxuriam damnabunt, tanquam venenatos fontes, ex quibus ſui cruciatus promanent. . .

Verum

Verum dicitis, miseri! sed ego dico vobis, vacuum pæne infernum fore, nisi cæteris vitiis spes veniæ per acediam fuisset ablata. Acedia in causa est, quod plerique hominum in peccata incidant, in peccatis vivant, in peccatis moriantur. Palpari hæc veritas potest, si attendimus, quod initium, medium, & finis vitæ peccaminosæ in peccato *omissionis* consistat. . . . Post annos complures innocenter actos incidis in primum peccatum mortale! lamentabilis casus! . . Sed fatere, quod res est. Nonne diu antea te permisisti acediæ? . . Omisisti consuetas preces: fastidisti laborem: sectatus es otium. Ita factus est *DEUS* in impertiendis gratiis parcior: *Diabolus* in tentationibus admovendis audacior: *tu* ad repugnandum imbecillior. Hinc! . . Quid hinc? hinc primus lapsus gravior: & mox frequentatio lapsuum. . . . Acedia fecit, vel ut a pudore victus, primum scelus in confessione sileres: inde quot sacrilegia? . . . Vel si confessus es, acedia fecit, ut frigide doleres, ut obiter confitereris, ut media conversioni necessaria negligeres, & impedimenta non tolleres. Vides, quid noceant *omissiones*? . . Quid? quod *omissio pænitentiæ finalis* tandem illud peccatum sit, quod nisi cæteris adjiceretur, damnaretur nemo: scelestissimus quisque veniam mereretur per Christum Dominum nostrum! . . .

4. Hor.

4. Horrore plena cogitatio! . . . Nunquam sic intellexi acediæ malum. . . Uritur Cain: uritur Pharao: uritur Judas: æterno igne uruntur Sodomitæ: merito! . . Sed essent tamen salvi omnes, si non accessisset acedia. . . . Tinniunt ambæ aures mihi ad hanc veritatem! . . Fastidium pœnitentiæ finalis ultimum impulsum in igneam abyssum dedit. . . Intelligo, Domine! gravius *in hac vita* neminem plecti posse, quam si peccatorem permittas acediæ. . . Pluat crucibus cœlum! persequantur me homines! omnia tormenta diaboli irruant! Amplius, Domine! Amplius: nam digna factis recipimus. . . . Unum deprecor: *a spiritu acediæ libera me Domine*! . . Ex omnibus tentationibus non aliam timeo magis, quam quæ ab acedia venit. . . Relinqui acediæ post peccatum: fastidio pœnitentiæ obrui: ad sui victoriam per vivacem gratiam non excitari, punitio horrenda est, quia est certissima cōnexio cum inferno. . .

5. Sancti & Sanctæ DEI intercedite pro nobis, ne quis nostrum tradatur acediæ. . . Leo, qui circuit, quærens, quem devoret, neminem vincit facilius, quam quem invenit tædio affectum, languidum, impatientem. . Vos omnes, quantum laborastis! quanta passi estis, ut securi perveniretis ad regnum Cœlorum, quod nisi violenti non rapiunt! . . . Quam ego dissimilis sum! . . In quo ex Choris locum mihi invenio? . . Ah! certissimum

est:

eſt: *Servus piger non ſalvatur! ſervus piger non ſalvatur! ſervus piger non ſalvatur!* . . Tremenda veritas! nam qua fronte poſſum negare *Minorem*? . . Et ſi hoc non poſſum, quæ eſt *concluſio*? . . Si beati ſunt ſervi, quos Dominus invenerit *vigilantes*: miſeri certe erunt, quos invenerit *dormientes*! . .

Colloquium.


DEus amoris, cui nihil magis repugnat, quam acedia, *Deus amoris* miſerere mei! *Tu ſcis, quia amo te*: & tu ſcis, utrum *ſerio* amem. . . Ego quidem nunc ſic exiſtimo: Tu ſcis, an non decipiar: ſuſpectum amorem acedia facit. . . Atqui odi acediam, vitium tam perniciosum *in tempore*, tam periculoſum *pro æternitate* tandem *ſerio* odi. . . . O felix odium, quod mihi probatio amoris ſit, quo ego amo Deum, & Deus me! . . Quid vero? ſi, uti amor, ita odium non *ſerium* foret? . . Serium eſt, JEſu mi! & quod ſit ſerium, per amorem orationis, laboris, & crucis probabo. . . Hactenus per acediam factum eſt, ut *actiones* meæ ſine ordine, & *paſſiones* eſſent ſine fræno: nunc per odium acediæ fiet, ut homo *exterior* æque, atque *interior* ordinetur ex lege amoris, quo Legiſlatorem amo, qui me usque ad mortem, mortem autem crucis amavit. O bona Crux! . . *Surgamus.*

In amore vivere, eſt in cruce vivere, quia amor noſter crucifixus eſt. . . Qui crucem odit,

non, *non* ſerio *amat*, ad ſpeciem *amat*: *in labiis amor eſt*, *in corde frigus*, *niſi amor probetur* per acediæ odium. . . *Clamas*: O DEUS, ego amo te! *Hypocrita*! *proba*, *quod dicis*: per odium acediæ *proba*! . . Odium acediæ *ſit vobis materia hodierni Examinis. Nemo cubitum eat*, *priusquam examinaverit ſe*, *an acediam oderit*. . . *Repeto*, odium acediæ *eſt amoris probaio*. . . *Dies hodierna* dies amoris *fuit*: *amoris eſt hæc Reſolutio*: oportet DEO ſervire *ſerio*. *Hic ſit fructus diei 2dæ*. actæ *in amore ad exterminium acediæ per ordinationem* vitæ præſentis. . . *Dies 3tia* dies timoris *erit*, *qui nos urgebit*, *ut velimus DEO ſervire conſtanter. Ita providebimus vitæ futuræ. Benedicat conatui DEUS ſumme amabilis*, *& ſumme amans*, *ſummeque dignus amari omni modo*, *& ſine modo!*...



Dies



Dies III.

Dies Timoris.

Laudetur JEſus Chriſtus!
℟. in æternum!

Contendite intrare per anguſtam portam! . . *Eſt adhortatio D. N. J. C. . . Contentionis nomine intelligit Dominus* diligentiam *in ſalutis negotio cito agendo, quod die 1ma: & ſerio agendo, quod heri expendimus: & conſtanter agendo, quod hodie ſtatuemus. Dies 1ma* dies doloris *fuit, ex cujus impulſu decrevimus emendare* vitam præteritam, *corruptam ab acedia, quæ nos totius Trinitatis odio dignos fecit. Maledicta acedia! . . Dies heſterna* dies amoris *fuit, ex cujus regulis ordinavimus* vitam præſentem *ad exterminium acediæ, quæ hominem inutilem, moleſtum, & noxium Deo, ac ſibi facit: Maledicta acedia! . .* Diei *hodiernæ ſcopus eſt providere* vitæ futuræ, *propterea eſt* dies timoris. *Reſolutio*: Volo ſer-

vire DEO, non solum cito, sed etiam serio, sed etiam constanter, quocunque labore constet. . . *Surgite animis! Juvabit Resolutionem*

MEDITATIO I.

De Inferno.

Puncta sunt duo: 1*mum*, *Pœnæ* qualitas. 2*dum*, *Pœnæ* duratio. *Utriusque timor efficacissime oppugnat acediam inimicam* constantiæ, *quæ sola coronatur. Emendasse vitam* præteritam, *& ordinasse* præsentem *quid juvat*, *si* futuræ *non providemus*? *Provideamus.* Confige timore tuo carnes nostras *Domine*! *ut*, *si quando* amor *non sufficiat ad sistendum impetum Passionum*: *saltem* timor *coerceat.* Sedeamus.

PUNCTUM I.
Pœnæ Qualitas.

1. *DIscedite maledicti in ignem!* Ita Judex loquitur. Igitur pœnæ instrumentum est ignis, & ignis quidem *verus*, non *metaphoricus*: nam contrarium affirmare, si non est Hæresis crimen, saltem *temeritas* est, clarissimo textui sine necessitate vim inferens. . . Judex, cum fert sententiam, non solet metapho-

taphorice loqui: aut quis, cum audit: *Titius fur ex patibulo suspenditor*! decretum de patibulo metaphorico explicat, nisi forte in Comœdia audiat? . . Neque obstat, quod imperceptibilis sit modus, quo Spiritus ab igne *materiali* uratur. Multa enim tenemur credere, quæ non possumus capere. . . Confirmat Fidem Ratio. Judex dicit: discedite in ignem, *qui paratus est diabolo*! Sequitur damnatos post diem judicii ustum iri *eodem igne*, quo diabolus uritur ab initio mundi, non autem igne, qui *de novo* creabitur. Igitur ignis, qui diabolum urit, est *verus* ignis, elevatus tamen, ut Spiritum torqueat: aut dicendum erit, *corpus* immune fore a pœna ignis, quia neutiquam concipi potest, quid significare ignis *metaphoricus* possit, unde corpus cruicietur. . . Furor & rabies similitudinem cum igne habere, qui animam affligit, dici fortasse potest: sed qualis metaphora corpori molesta sit, quis doceat? . . Nullo modo ergo probabilis, sed torta, audax, temeraria est explicatio sacri textus, per quam ignis inferni metaphoricus esse asseritur. Vera est Augustini doctrina: damnati uruntur *veris*, sed miris modis. . . .

2. Vis *urendi*, & vis *lucendi* duæ sunt ignis illius proprietates, veræ & miræ ambæ. . Ambæ alias serviunt homini ad bonum usum: sed quia ignis inferni creatus est hoc fine, ut cruciet; utraque cruciabit, *vis urendi* vehe-

mentissima, & quodlibetica: *vis lucendi* corpori, animæque horrenda.

3. *Vis urendi* ex copia ignis, materia, & applicatione desumitur. . . . *Erit terra eorum in picem ardentem*, ait Isaias, & confirmat Joañes dicens in Apocalypsi: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* Erit igitur homo damnatus in igne, & ignis in ipso. . . Erit *in igne* tanquam fasciis ab accenso oleo, aut spiritu vini ardentibus involutus: aut similiter ardens, uti Christiani sub Nerone, qui pellibus animalium pice illitis insuti pro facibus nocturnis servire tyranno cogebantur. . . Erit *ignis in ipso*, quia cum flammis velut igneo mari innatat infelix, necesse est, ut qui olim bibebat velut aquam, iniquitatem: jam ignem bibat, qui impetu fluctuum per os se infundens descendet in stomachum, atque inde intra cutem in omnes partes diffusus, omnes uret, nullam exuret. . . Ardebit sanguis: diffluet pinguedo: siccabitur medulla ossium: ebulliet cerebrum: ignem spirabunt pulmones: Cor, hepar, renes, viscera, arterias, venas occupabit ignis: ignis per omnes nervos circulabitur. . . Adde potentiam quodlibeticam, per quam ignis instrumentum fit omnibus instrumentis cruciantibus æquivalens. Mordebit ut serpens: lacerabit ut Leo: contundet ut malleus: transfiget ut gladius: distendet ut equuleus: conteret ut rota: prosternet ut fulmen. . . Omne suppli-

cium

Digitized by Google

cum in uno eſt. . . Terribilia ſunt, quæ dixi de vi *urendi*: terribiliora audietis de vi *lucendi.* Qui habet aures, audiat! Optabilius eſt audire, quam experiri.

4. Obſcura eſt illa flamma, quippe fumo piceo undique repercuſſo involuta: unde fit, ut inſtar fulguris intermicantis oculos tantum identidem ad horrorem perſtringat, non ad ſolatium, ſed ad tormentum, ut tenebræ ex maligna luce horridius viſum afficiant. . . . Verum hæc vis lucendi tantum oculos corporeos cruciat: quæ animum torquet, multo affligit acerbius. Ignis ille quanquam mere materialis ſicut non ſolum corpus, ſed & ſpiritum *urit*: ſic neque ſolis oculis corporis, ſed inſuper intellectui *lucet.* . . Ad hanc lucem videbis *tempus præteritum*, in forma mulieris, ſicut *Occaſio* pingitur, ſe tibi ſiſtens. Capilli ſupra frontem propendent: occiput calvum eſt: quoties apprehendere conaberis, manus fruſtrabit. . . . . *Quis mihi dabit, ut redeant dies priſtini!* æternum lamentum erit. Ah! ut redeant horæ male perditæ: quam avide utar ad pœnitentiam! . . Eheu! Si vel unica die citius, priusquam moriendum fuit, pœnitentiæ conſilium toties, ac tot modis inculcatum arripuiſſem: in Cœlo eſſem! . . O Cœlum! o Patria! ergo æternum carebo te? Nunquam aut oculus meus videbit, aut auris audiet, nec in cor meum deſcendet felicitas, quam præparavit DEUS diligentibus

 ſe! . .

Digitized by Google

per novum titionem augeretur. . . Maledices Parentibus, quorum conniventia aut incuria prima forsitan tanti mali causa, & fons fuit tibi. . . Maledices cœlo ad tua lamenta surdo, imo divinæ Justitiæ de te applaudenti, & alleluja cantanti super calamitate tua, per quam crimina læsæ Majestatis toties a te cum risu commissa per fletum vindicantur. . Maledices inferno, qui te undique torquebit, neque tamen occidet, quod tu optabis calentibus votis, sed perpetuo irritis. . . . Maledices ipsi Deo, pœnarum auctori, atque instar rabidi canis allatrabis lunam in plena luce sibi placentem, tuasque blasphemias, & vanam sine viribus iram cum sarcasmo spernentem. . . Breviter: videbis in igne inferni peccata nondum deleta: Deum atrociter iracundum: & nullum ejus placandi remedium. Ita, quæ vides, & quæ non vides, cruciabunt animum. Quid putas, non vis lucendi videtur vi urendi etiam crudelior? . .

5. Enimvero hoc est, quod Deus per Ezechielem c.7. prædixit: *tunc scietis, quia ego sum Dominus percutiens, ego*: non enim homo, non bellua, non diabolus me invito quemquam torquebit: *Ego* torquebo: & hoc scietis vos scientia experimentali, quod ego sim vobis malorm Auctor. . . Intelligetis dominii mei jurisdictionem illimitatam, & justitiam sine respectu. . . Quales invenio, tales judico; neque potestatem in Reges mi-

nus, quam in cives exerceo. . . *Tunc scietis, quia ego Dominus percutiens*: ex ipso modo percutiendi intelligetis. . . Nempe magne DEUS, & terribilis nimis! quidquid agis, *digne DEO* agis, sive ita agis, ut, qui DEUS non est, sic agere non possit, atque Divinitas ex ipsa actionis excellentia elucescat. . . Creasti mundum: & opera sex dierum demonstrant, quod creatio sit actio *digna DEO*: ex ipsa scimus, quia tu es Dominus *potens*. . . Gubernas mundum: & mirabilis ordo rerum, eventuumque successio demonstrat, quod gubernatio sit actio *digna DEO*: ex ipsa scimus, quia tu es Dominus *sapiens*. . . Sanctificas mundum: & media, quæ adhibes: prodigia, quæ patras: instrumenta, quibus uteris, demonstrant, quod sanctificatio sit actio *digna DEO*: ex ipsa scimus, quia tu es Dominus *bonus*. . . Quid expectamus, nisi ut similiter te vindices de rebellibus subditis *digne Deo*, ita ut ex ipso vindictæ genere intelligamus, quia tu es Dominus *justus* per justitiæ genus, soli Deo proprium, soli Deo possibile, soli Deo conveniens. . . O fatui homines! fatui sane, qui tanti mali periculo nos proterve exponimus, ludentes ad marginem abyssi igneæ: in quam fallente pede vel semel tantum, præcipites ruimus. . Heu! fatuus vocatur in Evangelio, qui ædificat in arena. . Fatuus, qui cœpit ædificare, antequam computaverat sumptus, qui necessarii erant. . . Fatuus, qui bellum movet alteri, priusquam cogi-

Digitized by Google

cogitaverit, utrum cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. . . . Fatuus, qui dormit, priusquam præter lampadem insuper vas habeat oleo plenum. . . Fatuus, qui in suis opibus sibi plaudens, dicit sibi: *anima mea! habes multa bona: comede, bibe, requiesce!* . . Non sumus insani nos, qui in periculo multo atrociore jocamur?. . Credimusne infernum dari, an non? credimusne, nos nondum securos esse, an non? . . Si non credimus, jam judicati sumus: uterque enim articulus revelatus est: & de alterutro dubitare est negare fidem, reumque Apostasiæ se facere, atque ultro damnari velle, utique quia propterea, quod nos cessaverimus credere, non ideo infernus cessabit ardere. . . Si credimus autem (& sane tutius est credere, quam ad experientiam appellare) si credimus: quis credat, quemquam hominum adeo insanire posse, ut *per acediam* in periculo tam horrendi interitus persistere audeat, incertissimæ spei innitens, tempus superfore, & medium, per quod *olim* tantum malum evadat. . . Insana spes! . . Sapientis hæc sententia est Prov. 14. *Sapiens timet! & declinat a malo*: timet in prosperis, ne Deo frigide serviat: timet in adversis, ne ab igne picto in verum ruat: Ideo declinat a malo, imo speciem mali fugit. . . *Stultus* autem baculo arundineo temere incumbens, fossam *transilit*, & *confidit*. . . . Cur? nempe sæpe jam *peccavi*, inquit; & *quid accidit mi-*

hi

hi triste? Ergo eja! *adhuc semel*! . . At ecce! subito frangitur baculus: & ruit in ignem miser, *in ignem æternum* ruit, quod est

PUNCTUM II.

Pœnæ duratio.

1. Pœnarum inferni æternitas articulus est ex difficillimis unus, cujus veritas, ut esset dubia saltem, multi, *quorum Deus venter est*, cupiunt multis persuadere, scilicet ne soli veniant in hunc locum tormentorum, tanquam a multitudine infelicium spes solatii foret. . . Vah! præsumptio nequissima! sed *causas dubitandi* audiamus. Nihil dissimulabo, ut oppiletur os impiorum, & nemo non palpet, quam inania sint argumenta, quibus veritas impetitur ab iis, quibus volupe est seipsos decipere. . . Omnia reducam *ad duo*, quorum unum ex natura *Creatoris*, alterum ex natura *Creaturæ* deducitur. . . . *In creatura* videmus, ajunt, quod *ignis agens*, ut æternum agat, infinito alimento indigeat. Infinitum alimentum euge! unde suppeditabitur? . . Multo minus intelligi potest, quomodo *corpus patiens* æternum duret. *Pati* enim est *detrimentum* accipere. Quomodo igitur post quotidiana detrimenta non denique corpus consumetur? . . *De Creatore* hæc innata animo idea est, quod infinite & justus,

&

& bonus ſit. . . . Porro ſi *juſtus* eſt, quomodo culpam momentaneam pœna æterna plectat! . . . Et ſi *bonus* eſt, quis credat, fieri poſſe, ut pro injuria ſuæ Majeſtati per inobedientiam ab homuncione illata pœnam æternam decernat, quin unquam animæ in atrociſſimis cruciatibus ingemiſcentis aliqua miſeratione tangatur, præcipue cum cruciatus æternus ſit *pura pœna*, quæ neque ſervit ad terrorem aliorum, quia nemo tunc vivet amplius: neque ad correctionem damnati, quippe qui nunquam emendabitur. . . Addunt aliqui tertium argumentum *a gratia Redemptoris*, cujus gloria poſtulet, ut *propter ipſum* Deus denique omnibus reconcilietur, quibus iratus eſt: & nemo ſit, qui non *infinitæ ſatisfactionis* particeps fiat. Audiſtis ſerpentis ſibilum: *Nequaquam moriemini* æterna morte? . .

2. Sed erratis, o ſcioli! *neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei*! Matth. 22. . . . Virtus Dei *Omnipotentia* eſt, quæ ignem inferni alere ſine alimento poteſt. *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendit illum.* Iſ. 30. quod aliud nutrimentum exigitis? . . Virtus Dei *ſapientia* eſt, quæ, ſicut in fornace Babylonica fecit, ut ignis luceret, quin ureret: ita in inferno facit, ut urat, quin conſumat: aut an difficile eſſe putabitis Deo reſtituere damnatis corpora *paſſibilia* quidem, *immortalia* tamen? . . . Non legiſtis, quod

de

de homine damnato ſcripſit Job. c. 20. *Luet*, *quæ fecit omnia*: *nec tamen conſumetur*? . . . Virtus Dei *Juſtitia* eſt, quæ in culpa non temporis durationem, ſed malitiæ gravitatem attendit, id quod etiam Jura humana ſolent, dum latrocinium, quod *momento* cōmittitur, perpetua privatione vitæ, aut perpetui carceris ſupplicio puniunt. . . . Malitiæ vero *gravitatem* æſtimare, dicite: cujus eſt? Rei, an Judicis? . . Et pœnam culpæ congruam *taxare* ad quem pertinet? auditurne aliquando Reus, cum per horam punitus fuit, dicere Judici: *nunc ſatis eſt*! . . . Aliter nos, aliter Deus peccati enormem malitiam ad ſtateram appendit. . . . *Satisfactio* pro injuria ſibi per peccatum illata nulla Deo ſufficiebat, niſi quæ *infiniti pretii* eſſet. Sic judicavit Deus: ideoque ut ſatisfieret ſibi *per Deum-Hominem* voluit. Quid? Non certa concluſio eſt, quod nulla quoque *ſatispaſſio*, *quæ finem habet*, culpæ gravitatem adæquet? . . Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum! ita ex Pſ. 118. acclamare nos Deo decet, cujus judicium prima eſt regula omnis ſanctitatis. . . . Denique virtus Dei *Bonitas* eſt. Æquum eſt autem, ut, qui *Bonus* eſt, *malum* oderit, ac perſequatur, quamdiu *malus* eſt. Damnati igitur, cum perpetuo mali ſint, odio perpetuo digni ſunt. Quos mors in peccato deprehendit, perpetuo peccatores erunt, quia volun-

voluntas hominis *post mortem*, non ſicut dum vivimus, *ambulatoria*, aut mutabilis eſt. Finalem impœnitentiam diabolica contumacia excipit, & (quod conſequens eſt) ſtatus omnium malorum aggregatione infeliciſſimus. . . . Minatur Deus *æterna* ſupplicia, ut *corrigantur* alii, alii *terreantur* per interitum illorum, qui correcti non ſunt. In fine ſeculorum vero *minarum executio* jam non valebit, ſive ad correctionem, ſive ad terrorem: quid tum? At, niſi exequeretur Deus, quod minatus erat, *verax* non eſſet. Quid? quia *bonus* eſt Deus, an ideo *mendax* erit? aut, ne *bonus* eſſe ceſſet, *verax* eſſe ceſſabit: . . .

3. Quouſque blandiris tibi, infelix impietas! fruſtra *verbo Dei* obgannis. *Diſcedite maledicti in ignem æternum*! Vox eſt Divini Judicis: adhuc habes, quod garrias? . . . Habeo, ait: & non eſt novum, quod vox *æternitas* in ſcriptura ſignificet tempus *longius* quidem, non tamen, cujus nullus ſit finis. . . Quod ex inferno tandem redemptio ſit, certe ipſa Scriptura docet primum 1. Cor. 15. ubi Paulus *mortem eſſe morituram* affirmat. Deinde Iſ. 14. ubi Deus *poſt multos dies viſitaturus eſſe damnatos* aſſeritur. Iterum Apoc. 5. ubi dicitur *Agnus infra terram laudari*, utique non ante pœnarum finem. Demum clariſſime Apoc. 22. ubi affirmatur, tempus fore, cum *nullum maledi-*

ctum

ctum erit amplius! . . Verum o inania solatia! & frustra ad votum scelestorum detorta oracula! . . Joannes *de civitate Dei* hic loquitur, non de fine inferni: & cum *de laude Agni infra terram* est sermo, *de tempore* sermo est, non de æternitate. Isaias autem nomine *visitationis* non intelligit solatium, sed innovationem pœnarum *in gladio duro, & grandi, & forti* Is. 27. Et Paulus denique de morte *mortis primæ* narrat, cum Resurrectionem tuetur; nam *mors secunda*, sive æterna *manet*, sicut legimus Apoc. 21. Quod vocabulum *æternus, æternum, æternitas* attinet: nemo negat, nonnunquam illud adhiberi a scriptura *pro longo tempore*: verum num ideo nunquam significat *tempus sine fine*? . . . Imo ne ambigi prudenter possit de vocis *unius* significatione: voluit Deus *varia phrasi* eandem pœnarum æternitatem docere. . . . Certe, si *aliquando*, etsi post multa secula, finis tormentorum futurus est: & Deus damnatos homines, dæmonesque, ex damnata Origenis sententia, per longa supplicia placatus, denique admittet in cœlum: nonne mentitur Apostolus, cum monet: *Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt* 1. Cor. 6. Mentitur iterum, cum asserit: *Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur*! 1. Cor. 15. Mentitur Isaias l. c. 66. de damnatis affirmans: *Vermis eorum non moritur, & ignis*

nis

Digitized by Google

nis non extinguitur. Mentitur Christus hæc ipsa verba Marc. 9. ter continenter inculcans. Mentitur Joannes Baptista Matth. 3. de Judice divino docens: *Paleas comburet igni inextinguibili.* Mentitur Daniel c. 12. prædicens fore, ut multi in terræ pulvere evigilent *alii* quidem *in vitam æternam*, & *alii in opprobrium, ut videant semper*! Nisi decipere voluissent, dicere debebant viri boni: non videbunt semper! vermis morietur, & ignis extinguetur! omnes immutabimur! tandem etiam fornicarii, & adulteri regnum Dei possidebunt. Adde: si aliquando damnati salvi erunt, falsum dixit Veritas (percipite me diligenter) falsum dixit Veritas, cum dixit de Juda proditore: *Bonum erat ei, si natus non fuisset*! falsum est! Bonum est Judæ fuisse natum, nam etsi *ad longum tempus* miser sit, tamen felix *æternum* erit. Meretur æterna felicitas etiam tanto pretio emi: bonum est Judæ, bonum, quod natus fuerit! . . Eja! non horrent aures hanc contradictionis audaciam? . . .

4. At nempe *gloria tua*, Redemptor mi! & *tuæ satisfactionis* meritum hos defendit interpretes: tui sanguinis virtutem tueri se, videri volunt. . . O speciosa argumentatio, solida, convincens, si superis placet: & si forte isti plus quam Christus de Christi gloria solliciti sunt. . . . Equidem omnes, qui in Adam mortui sunt, per Chri-

 stum

ſtum vivunt, ſi *volunt* ſe meritorum Chriſti participes reddere *per uſum mediorum*, quæ ipſe præſcripſit. Verum merita Chriſti *gratiæ* ſunt: & gratiæ non obtruduntur invitis. Qui *nolunt* igitur, non participabunt: æternum non participabunt.. . . Audivimus clamantem Dominum: *niſi quis renatus fuerit, non introibit: niſi pœnitentiam egeritis, peribitis: niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quam Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cælorum*! Quid? num eſt, qui reclamare audet: nolite metuere! *intrabitis tamen*! *non peribitis*! . . . Non hæc blaſphema temeritas eſt? Non ipſa *neglectio gratiæ Chriſti* crimen hominis infinities aggravat? . . . Non ſapientior eſt hæc illatio: In omni peccato imbibitur contemptus *infinitæ Majeſtatis*, cui vilis homulus obedire detrectat: contemptus *infinitæ mercedis*, quam Deus obedienti promittit: contemptus *infiniti pretii*, qui, teſte Apoſtolo, eſt conculcatio Divini Sanguinis, nova crucifixio, novum Deicidium: ergo peccatum meretur pœnam, quæ finem non habet. . . Fruſtra, o miſeri! miſerationem ſperatis, poſtquam *immutabilis* Judex judicii ſui ſententiam his verbis expreſſit: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*! ſtatimque addidit: *ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam*, Matth. 25. Stultitia eſt, qua mentitur iniquitas ſibi, vocem Judicis *eandem* intelligere de vita *ſine fine*, & de ſupplicio

tan-

tandem *finiendo*. . . . Judex & vitam, & pœnam *æternam* vocat: ergo dicere: pœna habet finem, vita non habet finem, est illudere verbo Dei, & *facere cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*, Ezech. 13. Itaque quid opus est pluribus? *Deus dixit*, pœnam ignis nunquam finitum iri: ergo possibilis est: ergo datur: ergo justa est: ergo non repugnat divinæ Bonitati: ergo non excedit peccati malitiam: ergo non opponitur meritis, & gloriæ Christi: ergo quantumvis *capi* non possit, *credi* debet: Datur vitæ futuræ æternitas, una felix, altera infelix, utraque *sine fine*. . . .

5. Horrendus articulus! . . Sed credo! credo! credo! & duce hac sancta fide, ignem æternum timeo! ignem æternum timeo! . . Tormenta, quibus cruciantur malefici: dolores, quibuscum confligantur ægroti: supplicia, quibus afficiebantur Martyres: ah! Quid hæc sunt ad ignem æternum? . . Ite vani timores, qui me toties abripuistis in scelus: posthac ego nihil, nisi peccatum, timebo! . . . Neminem, nisi *qui potest & corpus & animam mittere in gehennam*, timebo: nam ignem æternum timeo, & præterea malorum nihil. . . Quis mihi det, ut tota vita nihil aliud timuissem! . . . Sancte timor, næ tu meis propositis firmiorem constantiam tribuisses! . . . DD. Sodales; Quid facitis? ubi est zelus vester? *In-*

Digitized by Google

fernus aperuit os suum sine ullo termino, hominesque acervatim in ignem æternum ruunt! alter alterum præcipitat: nec vos timetis? . . . Ah! misеremini, miseremini saltem amicorum vestrorum! saltem subditorum, cognatorum, fratrum, liberorum! Ducite illos ad conciones! suadete confessionem! date pios libellos! Eripite de turba malorum! docete ignorantes! succurrite lapsis! fratres vestri sunt, quos JESUS sanguine suo redemit, & a vobis juvari vult, ne pretium redemptionis in illis pereat! . . . Quanquam cur ad curam alienæ animæ vos adhortor, quando vestra in periculo est? . . Ita, repeto: vestra anima in periculo est æterni interitus! Periculum *ab acedia* venit, quia nemo, nisi qui perseveraverit *usque in finem*, salvus erit! . . . Itaque quam certum est, & de fide, quod pœna inferni æterna sit: tam certum est, & de fide: *Servus piger non salvatur*! & ratio est, quia *acedia* facit, ut, si etiam aliquoties cœperit benefacere, currere, pugnare: non perseveret in bono, non perveniat ad bravium, non arripiat coronam. . . .

Colloquium.

O JESU! qui non descendisti de cruce tua, donec dicere potuisti: *Consummatum est* opus, ad quod agendum missus sum: quo terrore concussum est cor ad hoc oraculum; ne-

nemo, nisi qui perseveraverit usque in finem, salvus erit! .. Tristis sententia, quæ jam sola sufficit, ut credam, quod *pauci Electi* sint! .. Heu me! ergo nondum ab inferno securus sum, etsi incipiam tibi servire *cito*: etsi serviam diu *serio*: non sum securus, nisi *constanter*, & usque in finem serviam? ... Et unde mihi de constantia blandiar? . . Novi me! novi *vim inertiæ meæ!* Ignis æternus, ignis æternus vorabit me, nisi a te impetrem, JESU mi! ut usque ad mortem tibi fidelis sim! . . . O ignis! supplicium horrore plenum in vi urendi, & vi lucendi. Prospicio mihi! ... O æternitas! o nunquam! o semper! quantum est pondus vocum! .. O JESU, esto nobis JESUS! Salvator esto! . . . Gratia perseverantiæ non venit, nisi a tua gratia! . . . Igitur *ut omnes nos in tuo sancto servitio confortare, & conservare digneris, te rogamus: audi nos!* ..

Sub Missa.

Ita, Domini! gratia finalis *est mera gratia, quæ nullo modo cadit sub meritum, quia est gratia* efficax, *qualem Deus nemini debet, quia nulli promisit.* . . . *Attamen, quam* mereri *non possumus, possumus* impetrare: *Oratio Justi clavis est cæli.* . . *Ergo oremus: & ut oratio sit fortior, Virginem Matrem invocemus Patronam, ut exoratus ab illa Filius sacrificium Crucis, quod*

Digitized by Google

in Missa modo incruento recolimus, *nobis efficax esse velit pro obtinenda* gratia bonæ mortis. . . . *Hoc fine* alta voce, *concordibus animis, corollam Marianam cum Litaniis Lauretanis dicemus*, *id præcipue urgentes:* Ora pro nobis peccatoribus nunc, *ut serviamus DEO cito*, *ac serio* : & in hora mortis, *ne deficiamus in fine*, in hora mortis. . . . *Oremus*! . . . *Dicebatur deinde* Rosarium, *quo finito facta est*

Consideratio
De pugna contra acediam.

ORavimus. Verum sicut *ad gratiam finalem* obtinendam *oratio* necessaria est: ita ordinarie *sola* non sufficit. Necesse est, ut tanta gratia saltem te non indignum reddideris: debetque bona vita bonam mortem præcedere ex nota paræmia: *Qualis vita*, *finis ita*. . . . Cum vero bona vita non sit *sine pugna*: timor inferni urgere animam pro se anxiam debet non *ad orandum* tantum, sed etiam *ad pugnandum* strenue, si mundus, caro, aut dæmon, invitante *acedia*, oppugnent nostri sive *doloris* de vita præterita: sive *amoris* pro vita præsente *constantiam*. . . . Trepidare ad hostis conspectum, fugam circumspicere, arma abjicere, atque illius arbitrio se tradere non est *viri*,

imo

imo ne *hominis* quidem, qui decem digitos habet, & plus, quam ſeptem annos ætatis. . . . Audaces Cœlum juvat! . . . *Acedia* eſt, quæ veſtem veſtram carneam apprehendens, dum ei tergum vertitis, occlamat cuilibet veſtrum: *Sic? Dimittisne me? Et non ero tecum amplius in æternum? . . . Abſit! Non potes ſine me vivere, niſi in ſumma melancholia. . . Nugæ ſunt, quibus te teneo. . . . Sint nugæ: ſunt tamen ſuaves nugæ, ſine quibus amara eſt vita. . . . Expecta! Pugnæ te manent foris: intus timores tumultuabuntur. . . Non potes mecum vivere: ſed nec ſine me poteris.* . . . Ah! Domini! usquequo audietis Syrenem? aures occludite, & manus adverſum hoſtem, quisquis occurrat, armate. . . . *Vincendum* eſt: aut æternum *moriendum*! . . . DEUS nobiscum eſt! Spectator, Adjutor, Remunerator victoriæ erit. . . . Sed moneo: Non pugnat DEUS ſolus. Vult, ut *viribus gratiæ* cooperemur *per vires naturæ*, quas ut quisque intendat alacrius, ſinite, ut exponam, *quantæ* hæ vires ſint. . . . Duo ſint principia, ex quibus illas æſtimare licebit. *Homines ſumus*, hoc primum: *Viri ſumus*, hoc poſtea expendemus. Attendite! nunquam forte ſciviſtis, quid poſſitis vel *per ſolas naturæ vires*: hodie percipietis ad ſolatium. . . . *Sedeamus.*

Digitized by Google

Pars I.

Homines ſumus.

1. AUdiamus hiſtoriam noſtræ creationis. Tria obſervationem merentur, creatio corporis, creatio animæ, & Modus creandi. A poſtremo faciamus initium. Ecce! ante creationem hominis *dixit DEUS* (ita ſacer Hiſtoricus habet) *dixit*: fiat lux! fiat firmamentum! fiant luminaria! congregentur aquæ! germinet terra! producant aquæ reptile & volatile! producat terra animam viventem, jumenta, & beſtias! *Dixit*: & *factum eſt ita.* Non deliberatione, non mora, non attentione opus fuit: omnia *quaſi ludens in orbe terrarum* fecit. . . . Nullum eſt dubium, quin pari facilitate creari Homo potuiſſet: ſed nimirum, ut diſceret homo, quantæ ſit ſuper omnia alia dignitatis, repente ſtylus narrationis mutatur: & tanquam *finito jam ludo* tres Perſonæ Divinæ in conſultationem conveniunt: neque: *fiat Homo*! *producat terra hominem*! ajunt, ſed: *Faciamus Hominem*! *agamus attente*; *Nam ſi in reliquis creaturis veſtigium noſtræ Naturæ impreſſimus: Homo erit Imago illius, & Dominus omnium. Faciamus Hominem ad imaginem in intellectu, & ad ſimilitudinem noſtram in voluntate: & præſit*; Gen. 2. Hem! Mo-

Digitized by Google

Modus *consilii*. . . . Mox applicant operi manum. Formatur corpus *ex limo terræ*, quasi figuli labor. Vilis *materia* est: sed *forma* quam est diversa a corporibus bestiarum! . . in bestiis *organa* exterius, partes etiam tam *solidæ*, quam *liquidæ* interius multam similitudinem cum corpore humano habent. Sed quam multo est nobilior *structura* & *ordo* partium! . . *Formavit* (non dixit: *fiat*!) *formavit*, ex limo corpus Creator *diligenter*, & os homini *sublime* dedit, ut forma *Dominum universi* loqueretur, & nobilitas incolæ ex pretio Palatii nosceretur. . . In hunc limum inspiravit deinde DEUS *Spiraculum vitæ*, a spirando sic dictum: & *factus est homo in animam viventem*. . . Et qualis est ista anima? Quinque verbis complectar omnes præcellentias: Est similis Deo, *Spiritus*, *intellectivus*, *liber*, *immortalis*, & in Microcosmo *immensus*, sive totus in toto corpore, & totus in qualibet parte. . . Ita factus Homo jussus est crescere, multiplicari, imperare orbi terrarum. . . .

2. Concludite ex hac historia, quid *Homo* possit vel *solius naturæ* viribus, sive si esset positus *in statu naturæ puræ*. *Homines sumus*: neque *per peccatum Adami* deleta est *Imago Dei naturalis*, sive similitudo naturæ in anima: neque ablatum est *dominium orbis quoad jus*, sed tantum *restrictum quoad usum*, uti ex historia *post diluvium* patet.

 Æque

Æque ut Angeli *post lapsum*, quoad dona & bona *mere naturalia* nihil perdidimus. . Itaque adhuc eædem sunt vires naturæ, eadem potestas dominii. . . . Hinc ergo, ajo: quid homo possit etiam sibi soli relictus, & *sine gratia*, colligite. . . Equidem *salubriter*, omnino nihil *sine gratia* potest, & ne quidem *Dominus JESUS*! pronuntiare *cum merito*. Hæc est doctrina fidei, cui qui contradicit cum Pelagio, sit anathema! . . Nihilominus quod homo sine gratia nihil possit; *quam peccare*: Similiter doctrina hæretica est, & in Jansenio damnata. . . Quid igitur potest homo denique *solius naturæ* viribus? Ajo: Si vires *corporis* jungat viribus *Rationis*, *Industriæ*, & *arbitrii sui*, non solum bestiis terræ, & piscibus maris, sed etiam *Passionibus suis*, & pravis motibus dominabitur: sive erit *Dominus sui* contra tentationes *externas* æque, atque *internas*, saltem *ad aliquod tempus*, & in circumstantiis non *extraordinarie* arduis. Assertionem exempla probant, non tot, quin plura. . . Præcipui motus, qui animum turbant, & stimulante *acedia*, *contra Rationem* insurgunt, sunt *cupiditates*, & *timores*. Vide modo, quid Gentiles præstiterint contra hos inimicos virtutis sola hac cogitatione adjuti: *Homines sumus*! . . Quanti in hoc genere fuerunt (nam sufficit nuda nomina commemorare ad memoriam) Socrates, Plato, Zeno, Diogenes, Cleanthes,

Epa-

Digitized by Google

Epaminondas, Themiſtocles, Areopagitæ plerique, & Philoſophi majorem partem omnes inter Græcos! Quanti poſtea Camillus, Manlius, Brutus, Scævola, Scipio, Fabius, Regulus, Cato, Epictetus, Seneca inter Romanos, cum aliis ſine numero, quorum hæc fuit Philoſophiæ Moralis Synopſis: *Nihil valde cupere, nihil valde timere!* . Quanquam quid opus eſt aliunde exempla accerſere, cum inter nos ſe quotidie offerant, qui ſuis cupiditatibus, ſuisque timoribus imperant, modo *tempore tentationis*, rejectis ſuggeſtionibus *acediæ*, recordentur, *quod homines ſint*.. . Eſt famelicus, cui cibus apponitur appetitui blandiens: furit ardor edendi: jamque irruit in patinam, cum audit ab amico, venenum latere. Ecce tibi! *ſubter ipſum* eſt appetitus, *ſi homo eſt*: famere, quam mori mavult. . . Eſt adultera, quam vetitus amor in novum ſcelus vehementer accendit: luctatur: circumſpicit: at ecce! dum expectat amaſium, Maritus ingreditur. Momento vaneſcit ſceleſtus calor: componit vultum, *ſi homo eſt*, & fidei conjugalis teſtem frontem in lætitiam explicat. . . Eſt Miles, quem mortis metus in fugam agit. Dum vertit tergum: Dux ſtricto gladio jubet trepidantem redire in ordines. Redit, *ſi homo eſt*, verſoque timore in audaciam, *acediam* fugat, & *hoſtem* vincit. . . . Dices: in his exemplis non *Ratio* triumphat, ſed *Paſſio* fortior ſubigit minus fortem. Aſſentior: ſed ajo: Paſſio fortior excitatur *a Ratione*: in brutis

enim,

Digitized by Google

enim, quia *comparationem* inter mala ac bona majora & minora, certa & incerta instituere non possunt, hoc non contingit. Itaque *rationabilis* est cupiditas boni majoris præ minore, vitæ præ saturitate: *rationabilis* timor mali non dubii præ dubii boni cupidine, timor iræ maritalis præ cupidine amplexus adulterini: *rationabilis* timor mali certi præ incerto, necis a Duce præ illa ab hoste. . . Atque ex hac narratione manifestum est, Rationem adhuc esse *dominam affectuum*, neque tantum illis posse *resistere*, ne rapiant in malum, sed etiam *imperare*, ut serviant ad bonum. . . Servi nostri sunt affectus nostri, *si homines sumus*, *servi*, quorum uni si *serio* dicat Ratio: *veni*! veniet: & alteri: *vade*! vadet: & tertio: *fac hoc*! faciet. Tanti est, nosse vires suas hominem, quas a Creatore accepit: & cum res postulat, adhibere. . *Per naturam Imago Dei sumus*, *per naturam mundi Domini.* Hoc *forma Corporis* testatur, illud *nobilitas Spiritus*. . . Atque hæc est *substantia* hominis. Esse divitem, esse nobilem, esse doctum *accidentia* sunt. Cura *conservandæ substantiæ* invincibilem facit. Si succumbimus vitiis, *per curam accidentium* simus imbelles: & quia plus solliciti sumus, ut divites, ut nobiles, ut docti, quam *ut homines simus*. . .

3. Inanibus ergo querelis sapientum aures obtunditis, quicunque ad excusandas excusa-

cusa-

cuſationes in peccatis *de liberi arbitrii imbecillitate* querimini. . . Si, quantum impenditis vires capitis, vires linguæ, vires manuum & pedum, ut divites, ut docti, ut glorioſi evadatis: tantum *vires voluntatis* adhiberetis in exterminium vitiorum, ut fieretis *boni homines*: enimvero intra octo dies experiremini, quam longe aliud ſit *non velle* & *non poſſe*. . . Hæc vero cum ita ſint, quid mirum eſt, ſi media die *lucerna* ſit opus, ut *hominem* inveniamus. . . Plerique ſuæ Dignitatis obliti, vitam agunt pecoribus ſimilem. . Videas in illis *aliquid a longe ſe movens*: vident, audiunt, comedunt, dormiunt, laſciviunt: ſigna *animalis* habeo. Signa *Rationalitatis* oſtendite! . . . Vah abjectio! . . . Plato gratias quotidie *Auctori naturæ* egit, quod ſe *hominem* feciſſet: iſti ultro ſe ipſi transformant in beſtiam, & quod Nabuchodonoſori ſupplicium horrendum fuit, inter delicias numerant, herbis, ut boves, paſci. . . O animal! animal! animal! cogita, *quod ſis homo*! . . Ecquis hominum ita inſanit, ut amore phalerarum *equus* eſſe deſideret? . . . Tu vero ſuperbis ut *pavo*, invides ut *canis*, rapis ut *lupus*, hinnis ut *equus*, voras ut *vultur*, furis ut *tigris*, ſtertis ut *glis*: unde *ex moribus* es diverſus a pecore? . . Ah animal! memento, quod non ſis animal qualecunque, ſed *rationale*: memento, quod *homo* ſis! . . *Animal omne* ſubjectum eſt neceſſitatibus corporis, inclinationibus ſenſuum,

cupi-

Digitized by Google

cupiditati speciem suam æque ac individuum conservandi. Sed *animal rationale* serviat necessitatibus *rationabiliter*: serviat inclinationibus *rationabiliter*: conservet se, suamque speciem *rationabiliter*: & qui est reliquorum animalium dominus, sit etiam dominus *suæ animalitatis*: nec aut vivat, ut brutum, aut moriatur ut brutum: hoc ajo, *posse hominem*, & Ratio docet, *debere velle*. . Fateor tamen: Qui sic vult vivere, necesse est, *ut faciat sibi vim*. Sine vi enim non vincetur *acedia* cum agmine vitiorum, quod *contra hominem* producit in aciem. . . Sed quid tum postea? . . *Viris* loquor: & *vir* dicitur *a vi*: potest ergo *vir* facere sibi *vim*. Ostendo. Vos, postquam audistis, quantæ sint *vires hominis*: percipite modo, quantæ sint *vires viri*. Si fœminis loquerer, silere nunc mallem. Sed macti animis: *viri sumus*! . . .

Pars II.

Viri sumus.

GRande discrimen est inter virum & fœminam. Uterque est *homo*: uterque animal rationale. Sed vir est principium, & finis fœminæ. . . *Principium*, quia fœmina de viro sumpta est, & ex una de costis ejus formata in mulierem. . . *Finis*, quia vir non est pro-

Digitized by Google

propter mulierem, ſed mulier propter virum, ut vir haberet *adjutorium* ſimile ſibi, quale inter cætera animalia non inveniebatur. Propterea Ariſtoteles vocavit fœminam *animal occaſionatum*, ſive non ſui gratia, ſed occaſione viri natum ad conjugium, & negotia domeſtica, ad quos fines neque aliud animal, neque alius vir fuiſſet idoneus. . . . Inſuper (quod ex jam dictis ſequitur) vir eſt *principium totius ſpeciei* & *finis totius univerſi*, quo quid illuſtrius dici poſſit, ego non video. . . Imiſit Deus ſoporem in Adam, cum Evam creare vellet. Interpretes hunc ſoporem fuiſſe extaſin credunt, quæ per hoc differt a ſomno, quod *ſomnus* liget functiones animæ intelligentis, non item ſentientis, & vegetantis: *in extaſi* autem operentur intellectus, ac voluntas: ſenſus vero ſic quieſcant, ut homo vix a mortuo poſſit diſcerni. In hac extaſi creditur Adamo revelata fuiſſe ipſius Excellentia; Matrimonii myſterium: & ratio pacti, per quod totius poſteritatis felicitas aut infelicitas ex illius voluntate penderet. . . Expergefactus Adam vidit Evam coram ſe modo prorſus ſingulari generatam. Cum enim homines alii naſcantur ex viro & fœmina: inter modos generationum *extraordinarios Eva nacta* eſt tertium. Nam Adam generatus eſt ſine viro & fœmina: Chriſtus ex fœmina ſine viro: Eva ex viro ſine fœmina. Noluit autem Deus illam *una cum viro* creare, quia, ut dixi, voluit, ut vir non ſolum prin-

principium & finis fœminæ, ſed per hoc ipſum etiam principium ac finis totius univerſi eſſet, quin daretur ulla ſpecies naturæ corporeæ, quæ facta non eſſet propter ipſum. Quid dicitis, viri, de hac creationis virilis hiſtoria?

2. Patet, Auctorem Naturæ viro tantum *virtutis* dediſſe, ut conſervandæ dignitati par ſit: nec ſubjici ullius imperio poſſit, niſi *volens.* Sicut enim Leo non eſſet princeps ferarum, niſi vires haberet, quibus principatum tueretur: ita viro eſſet male proviſum, ſi, cum ſit ipſe *finis univerſi*, & omnia propter ipſum, ipſe vero propter ſolum Deum: poſſet *invitus* vel a fœmina, vel ab alia creatura adigi, ut a Deo ad ipſam verteretur. . . Neceſſe fuit, ut, qui Caput omnium conſtituebatur, ei æqualis *Officio* intellectus, & officii *difficultatibus* ſufficiens animus tribueretur. . . Et vero fuit hic ſenſus omnium ſeculorum & gentium, ut crederent, viris non a gratia, ſed a natura, uti majus robur corporis, ita majorem & ingenii, & animi vim datam eſſe, quam fœminis, unde etiam factum eſt, ut excluſis mulieribus *ordinarie* ſoli viri Rebuspublicis præſint, bella gerant, Sacerdotio fungantur, Conſilia moderentur, ſtudia promoveant, mercimonia exerceant, & quidquid majoris momenti negotiorum eſt, adminiſtrent. . . Quodſi *ad hæc talia* vires *natura* viris dedit ad vincenda impedimenta illis, quæ *in via virtutis* occurrunt, multo diffici-

ci-

ciliora: quis non videt, merito rideri, totiusque orbis ludibrio exponi omnes, qui sub jugo fœmineo gemunt? . . *Ignavia*, non natura, est causa dedecoris. . . Notate hoc bene, quibus, si uxor non dominatur, tamen vitia imperant. Eadem vos turpitudo infamat: nam & dæmon, teste S. Ignatio nostro mulieri rixosæ est similis, quæ tanto audacius insultat marito, quanto experitur timidiorem: abjicit vero animum, ac terga vertit, si conspexerit severa fronte, voceque constanti occurrere.

3. Unde fit igitur, quod non omnes viri faciant sibi vim, & virtuti dent operam? Vires non desunt: *voluntas* deest, voluntas *generosa*, & serio imperans. . . . Turpe est fœminæ subjici: turpius mores muliebres imitari: utrumque tamen videmus quotidie. . Sub prætextu *pacis domesticæ* mariti sunt uxorum mancipia: & per excusationes *a vehementia tentationum*, *a moribus mundi*, *ab exemplo æqualium* ita delicati, leves, inconstantes sunt viri, ut nisi ex vestibus non dignoscas a fœmina. . . . *Mulierem fortem quis inveniet?* Olim quæsivit Sapiens. Hodie (pudet dicere: dicendum est tamen!) hodie justius interrogamus: *Virum fortem quis inveniet?* . . Major certe Doctorum pars favet sententiæ, quod plures fœminæ, quam viri salventur, non tam ideo, quod pleræque plus quam viri, solitudinem ament, Orationi

Digitized by Google

vacent, a periculosis officiis remotæ sint: quam *quod faciant sibi vim*, magis quam viri, id quod satis docet virilis tot virginum continentia, tot uxorum patientia, tot viduarum constantia, contra illecebras carnis, contra technas diaboli, contra mundi tyrannidem, contra omnes *acediæ* machinas... Ita, viri! ita surgunt fœminæ, & faciunt *sibi* vim: faciunt *cælo* vim; vobisque præripiunt *per usum virium*, quas a vobis acceperunt: sic enim de Eva sua Adamus loquitur: *hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*.... Et vos sine pudore spectatis?.. Vah! si centesimam partem virium, quas impenditis sive ad civiles, sive ad militares labores, impenderetis cœlo lucrando: (certum est) neminem virorum infernus haberet. Nunc *pauci electi* sunt, quia plerosque *ignavia* retinet, quo minus se addicant virtuti, eique *constanter* adhæreant.... Pudenda ignavia! *Surgamus*! Nam piget diutius cum hominibus tam abjectis tricari.

At vos saltem, DD. Sodales! inter paucos *estote*. Nolite timere pusillus grex, *quia complacuit Patri vestro, complacuit Matri vestræ dare* vobis *regnum*, *si* pugnare *potestis*... *Non deerit* gratia, *quæ* ad pugnam *excitet*, *&* in pugna *adjuvet*: *Sed vestrum est* cooperari, *& simul pugnare, quantumvis reclamet* acedia. *Resolutio postulatur, ut* vincere *vos ipsos velitis*. Vires *non* de-

deerunt. Estis homines : *estis* viri : *ex utroque titulo* Natura *robur dare debuit sufficiens ad victoriam* : gratia *facientibus, quod est in se, novas vires adjiciet ad* salutarem *victoriam, qualem præmium æternum expectat. . . Si* pusillanimitatis *aliquis sensus se movet : in promptu remedium est. Timor* mali majoris *vincat timorem* mali minoris, *timor* inferni *timorem* pugnæ. *Vana est omnis reluctatio. Aut vincendum est, aut æternum moriendum. Non datur medium. . . . Quid eligitis? . . Deliberate.*

Dissertatio
De Modo Pugnæ.

Laudetur JESUS Christus!

℟. in æternum!

Aut vincendum est, aut æternum moriendum! non datur medium. Quid elegistis, Domini! *aut num deliberastis saltem? . . Ah! Quis deliberet? Non potest utique* locus tormentorum *in deliberationem venire. . . Recte judicastis. Verum extra teli jactum non sumus. Nisi qui* in bono *perseveraverit usque in finem, salvus non erit. Igitur pugnandum erit* usque in finem: *Hoc est, quod mane monebam : Serviendum est Deo non solum* cito, *ac* serio, *sed etiam* constanter, *id quod* sine pugna *fieri non potest, quia* ace-

Digitized by Google

dia *est inimica* constantiæ. *Gratia offert auxilium: non* soli *pugnabimus. Sed nec gratia* sola *pugnabit: necesse est nos cum ipsa pugnare:* & possumus: *neque desunt* vires, *sive nos consideremus, ut* homines, *sive ut* viros. *Audivimus. Superest*, *ut* modum pugnæ *discamus. . . . Discemus autem*, *si distinguamus* tempora, *in quibus animam aggredi* acedia *solet, tristitiaque & fastidiis infestare. Tria numero, tempus* orationis, *tempus* laboris, *tempus* tribulationis. *In singulis singularis observanda est* pugnæ ratio, *ut* vires naturæ *viribus gratiæ feliciter cooperentur. Habetis Dissertationis meæ materiam, utilem prorsus, & alacri attentione dignissimam. Nemo est enim, qui non in hac vita, in qua corpus aggravat animam, sæpe debeat cum fastidiis luctari: & ego repeto: ex tentationibus, quibus Diabolus animas impetit, esse periculosissimam, quæ a tædio venit. . .* Sedeamus.

Pars I.

De tempore orationis.

1. QUod *tempus orationis* attinet: sæpe fastidium se movet ad initium, sæpe sub medium, si nempe diutius protrahatur oratio, sive mentalis illa sit, sive vocalis: sive privata, sive publica: sive arbitraria, sive præcepta. .

Com-

Digitized by Google

Communis querela est de importunis evagationibus phantasiæ, quæ animum in mille objecta dissipant, & suavitatem unguenti velut muscæ morientes corrumpunt. . . Omnes excusant se, voluntque, ut distractiones suas *involuntarias* esse credamus. . . Demus hoc aliquibus: multis certe *directe* voluntariæ sunt, nec raro studiose quæsitæ: plerisq; saltem *indirecte*, eo quod *causas* non tollant, quas possent tollere, & deberent. . . Adsit æstimatio orationis, & *pia* (de qua heri) *affectio*: mentiar, nisi mentem orantis facile colligi experiamur. . . Causæ distractionum sunt quatuor. . . *Culpa mordens* (S. Bernardi hæc observatio est) etiam, cum est mere *venialis*, tollit fiduciam in orante, ut nihil sperare boni a Deo audeat: Quomodo orabit *alacriter*? . *Cura pungens* totum animum in se abripit, atque in futura contingentia abstrahit: Quomodo orabit *devote*? . . *Sensus agens*, puta, aures apertæ fabulantibus, oculi per omnes angulos vagi, lingua garrula, manus & pedes occupati in vanissimis cæremoniis legum urbanitatis, in mille particulas cor dividunt, ita ut vix aliqua sit Dei præsentis memoria, nisi per tintinnabulum sub Missa moneamur: quomodo orabimus *reverenter*? . . . *Applicatio negligens*, puta, impetus, quo ad orandum ruimus, quin interroget se aliquis: *quo vadis*? omnem animi præparationem impedit: quomodo orabimus *attente*? . . Volumus, ut *gratia*, quæ ad orandum nos excitat, *prodi-*

vote, & *alacriter* fiat... *Altera* progreſſui ſerviet, & conſiſtit *in ſuſpiriis*, ſeu *brevibus pauſis*, qualium uſum S. Ignatius *in tertio modo orandi* requirit. Exemplum in Oratione Dominica demus... *Pater*, & vere Pater omni amore amabilis!.. *Pater noſter* communis omnium: nam fratres ſumus, quotquot homines ſumus. *Pater*! *Sanctificetur nomen tuum*! omnes populi adorent te!.. *Pater*! *adveniat regnum tuum*, omnes gentes obediant tibi! *Pater*! *fiat voluntas tua ſicut in cælo* de me, ſic *& in terra* a me! perfecte fiat!... *Pater*! *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*! habentes alimenta contenti ſumus: cupedias non appetimus... *Pater*! *dimitte nobis debita noſtra* eheu! per legis tuæ transgreſſionem temere contracta! Dimitte pœnitentibus, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* amore tui!.. *Pater! ne nos inducas in tentationem*: conſerva me, & meos in ſancto ſervitio tuo, ut non pereat ex nobis quisquam!... *Pater! libera nos a malo*, quod eſt antonomaſtice malum: libera a mala morte! *Amen*; Ita fiat! fiat per Chriſtum Dominum noſtrum, quia promiſiſti fore, quidquid pertinet ad rationem *ſalutis*, modo petamus in nomine Salvatoris!.. Quid obſtat, quo minus ſimiliter ſalutatio Angelica, formula votiva, ſalve Regina, Pſalmus Miſerere &c. recitetur? Profecto corruptiſſimi guſtus ſit, neceſſe eſt, cui hic orandi modus non ſapit... Dices: hunc modum ſolum *bre-*

vi orationi, & mere *vocali*, non autem *longæ* aut *mentali* accommodum esse. Respondeo: falleris. Nam & corona Mariana, & horæ canonicæ utiliter per ejusmodi suspiria e. g. ad singulas decades, aut psalmos interpolantur, maxime si *versus* occurrat peculiari devotionis sensu conspicuus, e.g. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus* tribulatione amara: *Cor contritum* dolore serio, & *humiliatum* pudore maximo *Deus* Miserator miserorum, *Deus* Redemptor peccatorum, *Deus* Amator pœnitentium *non despicies*! . Obsecro! cui potest hæc industria displicere, nisi illi, qui preces suas festinat absolvere, contentus *orasse*; & nihil sollicitus, utrum *bene* oraverit? . . Pie ad orationem affectus non curat, si plus temporis precibus impendere debeat, modo *devotioni* addatur, quod *festinationi* detrahitur. . . Quod attinet orationem *mentalem*, Exercitio Intellectus & Memoriæ uberem materiam obvii libelli suppeditant. Exercitium autem voluntatis, & *affectuum* (quod præcipuum est) non aliunde *felicius*, nisi *ex hac praxi*, deducetur in usum. Passim in libello, quo uteris, *textus Scripturæ* occurrent, vel etiam circa præsentem materiam tibi incident: sponsor sum, si circa illos ad singulas voces, vel sententias adhibeas ejusmodi *suspiria*: intra paucos dies *in schola affectuum* plus proficies, quam ex aliis regulis atque industriis per annum, maxime si suspiria illa (sicut in oratione *Mentis* fieri deberet)

ret) *diutius* protrahas, & tamdiu uni voci deguſtandæ immoreris, quamdiu ſenſus ſpiritualis ſe movet, quod genus Exercitii S. Ignatius Modum orandi *ſecundum* appellat. Quodſi *primum* orandi Modum, qui *per Examen* exercetur, adjungas, aut cum ſecundo & tertio miſceas tempore *Reflexionis*, (quæ eſt Meditationis anima, & per quam aliquis poſt *textum*, & *doctrinam* expenſam ſe inſpiciens interrogat: *Quid circa hæc documenta tu feciſti? quid facere potuiſſes? quid facies?*) vix eſt poſſibile, ut Meditatio ſit exucca, arida, ſterilis. Deliciis etiam inter lacrymas afflues: longe aberit omne faſtidium: dolebis horam finiri. . . . Tanti eſt velle *hominem*, & gratiæ ſupernaturali *per vires naturæ* cooperari. . .

3. Quodſi nec hoc quidem volumus, & piget induſtriis tam facilibus uti, propterea quod aliqua *ſui victoria* opus ſit, donec aſſueverimus uſui: cur igitur *viri* ſumus? . . Si rem magnam poſtulaſſem: audire me magno animo *vir* debuiſſet, & ſequi conſilium pro tanto bono, quantum eſt *bona oratio*: quanto magis, cum aliud non dixi, quam: *Utere ſuſpiriis*! . . . Forte autem, quos *Ratio* non movet *homines*, exemplum movebit *viros*, exemplum *viri tentati per omnia*, ut eſſet *Exemplar* in omnibus. . . Aſcendamus in hortum Gethſemani. Ecce JESUS orat. . . Tertiam jam horam orat! . . Et

inter amarissima fastidia! . . . Cœpit enim tædere, & pavere, & mæstus esse, adeo, ut cum gemitu fateretur discipulis: *Tristis est anima mea usque ad mortem*! . . . Vincit se tamen, & quo nausea ab oratione est major, tanto diligentius se ad orandum componit. . . Separatur a suis. . . . Solitarius oculos & manus in cœlum effert. . . Flectit genua: prosternitur toto corpore: cum clamoribus & lacrymis instat, urget, obsecrat Patrem: usque ad agoniam vires intendit, imo usque ad copiosum sudorem sanguinis! . . . Et quid orat? suspirium unicum perpetuo repetit, sed (quod opinor) secundum alterum aut tertium modum orandi repetit: *Pater*! charissime Pater! . . *Si possibile est*: Quid autem tibi non sit possibile? . . . *Pater*! respice sereno vultu in Filium tuum unigenitum! . . . . *Transeat a me calix iste*! calix supra modum amarus, calix tot pœnis refertus, tot ingratitudinibus plenus, & fructu tanti laboris pæne vacuus, *transeat a me*! . . . Verumtamen *non sicut ego volo* conformiter ad inclinationem infirmæ carnis: *sed sicut tu*, Pater! sicut tu vis, ita fiat! . . . Et quid factum est? Evanuit fastidium, pavor, mæror: apparuit Angelus consolans eum: surrexit ille confortatus in omnem eventum, & ultro hostibus se obvium dedit. . . . Quid? nondum apprehendis, quid *homo*, quid *vir* possit *contra acediam*, quando *tempore orationis* se movet? . . . . Similiter debel-

debellatur, quando *tempore laboris* assultum tentat. . . .

Pars II.

De tempore laboris.

1. TRia hic hominum genera distinguo. Primum illorum, qui laboribus præceptis, sive quos status, aut officium imperat, pœne *opprimuntur*, Israëlitis similes sub Pharaonis tyrannide. Alterum illorum, qui ex arbitrio vivunt, neque ullo labore occupantur, nisi quem *ultro* suscipiunt. Tertium illorum, quorum labores sunt *mixti*, aliique necessarii, alii liberi. . . . Singulis insidiatur *acedia*, immissoque tædio facit, ut primi status & officii obligationibus minime satisfaciant: secundi in nugis & otio pretiosum tempus pessime perdant: tertii, inverso ordine, occupationes *arbitrarias* cum cura, *necessarias* obiter agant: omnes autem DEI obliviscantur, & sui, toti quanti *filii hujus seculi*. . . . Omitto de illis dicere, qui in officiorum ambitu *honorem* quærunt, & commoda, *onus* & laborem relinquentes vicario, sæpe ne quidem de hoc solliciti, utrum a Substituto res recte fiant. Sed neque propositum est mihi hic disquirere, quando quis licite *per alium* agere possit, quod agere *per se* deberet, & posset, ita, ut tamen maxi-

mam

Digitized by Google

mam ſalarii aut redituum partem trahat, qui nihil agit, modico lucello illi aſſignato, qui omnia agit. Theologi examinent, quid in hoc negotio reſponderi poſſit conſcientiæ, *in Officiis Eccleſiaſticis* intentionem Fundatorum & Ecccleſiæ: *in Politicis* voluntatem Reipublicæ, & poteſtatem Principum trepide contra hos abuſus objicienti. Mihi ſufficit arma porrigere, quibus debellari acedia poſſit ab illis, qui ſua per ſe, non per alios agunt. *Homines* ſumus: *Ratio* poſtulat, ut cum gratia, quæ negotium ſuæ vocationis agenti nunquam deeſt, collaboremus *per vires naturæ*, ut, quod fieri debet, fiat, & recte fiat.

2. Igitur, quos *in prima claſſe* poſui, moneo: ut, ſi moles laborum ſuperat vires alicujus ſive corporis, ſive animi, ita ut aut ſanitas periclitetur, aut anima, quippe vix unquam ſui juris, & ſemper incurva ſub onere curarum: primum *Ordinem* inter occupationes conſtituant, juſtumque cuilibet tempus deſignent, quo peragi poſſit *commode*. Confuſio, dum hæremus, quid primum, quid deinde, quid tertio oporteat facere, ſæpe mater impatientiæ, puſillanimitatis, & faſtidii eſt. Porro ſi huic conſilio obſtat brevitas temporis: audiatur Jethro ſocer Moyſis, dicens Genero ſuo: *Stulto labore conſumeris*! Dum vis omnia ſolus facere, nihil facis: & nec Deo, nec communitati, cujus

bono

Digitized by Google

bono officium geris, satisfacis. Ergo divide cum aliis curas: & *partem onerum* transfer in humeros alienos, sed *una cum commodis* oneri a Deo vel homine annexis, ut hilarius feratur. Non video, cur hoc consilium displicere possit nimis occupato, nisi forte *avaritia* habeat, quod obmurmuret. Sed respondet Sapiens Prov. 15. *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni.* Et mox: *Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio.* Iterumque c. 16. *Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.* Et c. 17. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio.* Sapienti pauca. . . Qui *in altera classe* sunt, existimo illos vexari fastdiis *ab otio* magis, quam *propter negotia.* Fieri non potest, ut *hominem* vita *mere animalis* diu delectet. Dormire, edere, bibere, ludere, garrire, iterumque dormire, vitæ genus est, quo, sicut nullum habetur *abjectius*: ita animæ intelligenti nullum potest esse *molestius*. Sic enim misera damnatur ad si''quas, & cœlo nata ex pabulo porcorum pinguescit. Videas tales, cum a somno sunt fessi, deliberare per horas, qua ratione jucunde terendum sit tempus, sive quomodo *fallendum* sit, inquiunt, ne *longum* videatur. O infelices! Horam ex multis, quas vos pro re nihili prodigitis, si vel unicam haberet damnatus: quam esset repente felix! *Non habeo, quod*

agam

Digitized by Google

agam, ait: *propterea diversiones requiro, ne Hypocondriacum malum me occupet, cui per temperamentum obnoxius sum.* Quid? *Quod ex Medici testimonio non sit aliud huic morbo remedium, nisi motus, potus, & conversatio.* Næ tu homo lepidus es, quem non hæc ipsa vitæ ratio, quam vivis, melancholicum facit! Recte occupationes tuas *diversiones* vocasti: sunt enim vere *diverticula* posita extra viam ad cœlum. Aut, edic, amabo! Quis denique est *servus piger*, contra quem lata est damnationis sententia, si tu non es? si sapis, hæc cogitatio te salubriter *melancholicum* faciet. Melior morbo tuo medicina *ordo diurnus* erit, quem heri explicavi: & *correctio phantasiæ*, quasi vitam *in nugis* agere, jucundum: *seriis* autem occupari, melancholicum genus vitæ foret. Absit! Non erit tædio locus, si erit locus *ordini*, ac *varietati* laborum, suumque detur tempus *animæ*, suum *corpori*, suum *negotiis* ex viri prudentis consilio, aut Status & Officii qualitate. . . . Qui *in tertia classe* recensentur, non tentabuntur a fastidio opinor, *in occupationibus liberis*: quæ enim *ex electione* agimus, *libenter* agimus, quia cessare cum libet, licet. In *præceptis*, & *necessariis* periculum est, maxime *in laboribus capitis*, quorum non est successus quotidie æqualiter felix. Verum propterea est *locus pugnæ*. Sed facilis & læta victoria erit, si erit *ordo*, & potissimum tempus negotiis *necessa-*

cessariis detur, superfluum *arbitrariis*, quod statuere nemini difficile esse potest, si modo certa sit hora *decumbendi*, & certa *surgendi*. Iterum comendo *ordinem*, quia ordo est *via regia*, per quam itur in cœlum *sine ambagibus*. Qui enim *ex ordine* semel prudenter electo agit, non agit, quod *placet*: sed quod *decet*, & *juvat* agi. Qui vero *ex lubedine* vivit: si horas non perdit, *male*, aut *nihil* agendo: certe sæpissime perdit, *aliud*, quam oporteret, agendo. Adde, quod, qui vivit *ex ordine*, vivat non tam ex sua, quam *ex Dei voluntate*, cui placendi causa hunc ordinem constituit. Itaque, *cum sonat hora*, tanquam si vox de cœlo allaberetur, cessabit ab opere priore, & aggredietur, quod *ordo* imperat. Quid sequitur autem? Quod *homini* facimus, coacti & tristes sæpissime facimus. Si autem cogitat homo, qui ex ordine vivit, se *DEO* servire, aut homini *propter DEUM*, labor semper *jucundus* erit, quia *devotus* erit, sive manuum sit, sive pedum, sive capitis. *Dico ego opera mea Regi*, Rex Psaltes canit: ita, Regi, non Rustico, non Civi, non Equiti, non Principi mortali: Regi Regum laboramus. Laboremus *alacriter*: memoria, cui laboremus, *hilares* faciet. Quis enim ferventius applicet *manus* operi, quam qui *oculos* in cœlo figit? Certe propterea *homines* sumus, ut Deo non *materialiter* solum, sed *formaliter* obediamus, facientes

non

non modo, *quod vult DEUS* (hoc enim & bruta faciunt, & elementa adeo) verum & *quia vult*, & *quomodo* vult, puta, alacriter, & accurate. . . .

3. Non poteſt hæc doctrina diſplicere *viris* nondum per nugarum amorem effeminatis, & adhuc maſcula virtute pollentibus contra laborum oſores. Unicus caſus eſt, quando difficile eſt *tædio laboris* non vinci, nimirum quando eſt *labor infelix*, & piſcatui ſimilis, in quo Apoſtoli tota nocte fatigati ſunt, quin piſciculum caperent. Permittit hæc fieri DEUS, ut intelligamus, *conatum* eſſe noſtrum, *eventum* non item: & agricolam, poſtquam aravit, & ſevit, & occavit: meſſem non a labore ſuo, ſed ab influxu Cœli expectare debere. Permittit, ut labori jungamus preces, a quibus benedictio venit. Permittit, ut probet, utrum propter ſe laboremus, an fructuum, lucri, ſolatii cauſa Mercenario more. Quanquam igitur videaris tibi oleum omne, & operam perdere: ſi hæc calamitas contigit in labore, quem ſtatus aut officium, aut prudens electio imperavit: nihil te turba: ſalva eſt merces tua: ſalvum apud Deum laboris pretium: ſalva approbatio tuæ induſtriæ. Accinge te ad novum laborem *in nomine Domini*: patientiæ præmium erit captura tot piſcium, ut neceſſe futurum ſit annuere ſociis ad rete in littus trahendum: ſucceſſus laboris

Digitized by Google

laboris novi sterilitatem antiqui abunde compenset. Notetur hoc Principis Apostolorum exemplum ab illis præcipue, qui, cum labor minus, quam vellent, feliciter succedit, sive quod non sit eadem dispositio aut corporis, aut animi, quæ fuerat heri, ac nudius tertius: sive quod *ab extrinseco* detrimentum venerit, & inimicus homo superseminaverit zizania: tædio correpti, laboris consilium abjiciunt impatientes industriæ male, quod existimant, collocatæ. Semiviri! Nam *viri* pugnant, neque illis idem est invadi ab hoste, & vinci. Similibus casibus omnes Sancti fuerunt expositi, ita, ut Apostolo teste 2. Cor. 1. non raro *tæderet* eos *etiam vivere*. Sed nempe hic *sensus* tædii fuit, non fuit *consensus*. Non excepit tædium impatientia, impatientiam pusillanimitas, pusillanimitatem desperatio, desperationem damnatio laboris, & electio otii: Minime gentium! Sed postquam reverenter questi sunt Deo sortem suam: nova spe animati, per calcata fastidia, ad novos labores festinarunt, memores Eliæ 3. Reg. 19. orantis Deum pro anima sua, *ut moreretur*. Aliud Deus postulabat, qui excitavit dormientem, allatoque pane, quo vires reficeret, dixit: *Surge, & comede: grandis enim tibi restat via!* Et ecce! *in fortitudine cibi illius* quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ambulavit, quin fatigaretur. Tanti est, tentationem tædii a labore abstrahentis *virili-*

rasset, ut idola invocaret, permoverunt. Ita *jactura bonoris*, & existimationis, per quam tunc temporis consilium Achitophelis pro consilio Dei habebatur, cum semel tantum præferretur consilium Chusai, adeo afflixit virum, ut solis lucem pertæsus, seipsum domi suæ ex trabe suspenderet. Ita *jactura bonorum temporalium*, quam ex prærepta sibi primogenitura, & benedictione paterna Esau incurrerat, animum efferavit, ut decreverit fratrem frater occidere. Et quam amaris lacrymis sortem suam Agag Amalecitarum Rex deflevit, cum a Samuele *ad prematuram & violentam necem* destinaretur, Domino immolandus? Quem non lapidem movit Antiochus, ut liceret vitam protrahere? Quid? quod Abimelech ab armigero suo occidi voluerit, ne diceretur esse occisus a fœmina? Nec tamen quisquam horum cogitationem de cura vitæ futuræ suscepit! Hem! quorsum acedia rapiat, præcipue quando sibi sociam Melancholiam accersit! . . .

2. Quapropter *ratio pugnæ* contra acediam *tempore tribulationis* in unico præcepto consistit: *fuge melancholiam*. . . . Æneum cœlum est: non audit te Deus: Obscuratus est Sol: Luna lumen non dat: deseruerunt amici: aruit cor: non legere, non orare, non alios consulere, non cogitare de Deo libet. Non libeat: quid tum? *Sensus* devotionis cessavit: num ideo cessavit *devotio?*

tio? Imo tu *fuge melancholiam*! & constante vultu Deo te quantumvis austero sistens, cum ingenua fiducia interroga: *Deus meus*! *Deus meus, quare dereliquisti me*? Filius Dei hoc tibi exemplum dedit: imitare. . Morbi sive morosi, sive acuti te vexant: consumit tabes: urit febris: cruciat calculus: suffocat hydrops: gangræna devorat: dolores ad insaniam furunt: furant! In corpus furunt; anima extra teli jactum versatur. Sed tu *fuge melancholiam*! Fige oculos cœlo: a cœlo hic calix venit: *fixus cælo aspectus* monet, venisse desuper vocem, quæ dicit: *tolle*, *quem diligis*, *Isaac*, corpus tuum, & offer in holocaustum! voluntarie sacrifica Deo: refractaria non placet victima. Quid vero? num ideo mitius habebit me dolor? Haud *mitius* sane, sed *utilius* dolebis, & animo æquiore. . . . . Devotio, Obedientia, & Patientia virtutes sunt *ægris* propriæ, qui non *ut pecudes* patiuntur. *Devotionem* exerce non per longas preces fatigantes corpusculum, sed per brevia suspiria ex precibus quotidianis selecta. *Obedientia* præstita Medico & Ministris similem te Christo facit manibus crucifigentium tradenti se sine renitentia, sine murmure, sine querelis. *Patientiam* amare debes, ne uti animæ damnatæ inter execrationes uraris: sed ut cum animabus purgantibus etiam inter acutissimos cruciatus Deum laudes. Fient omnia, nisi tu melancholicus fias. . . . . Contemneris: &

supe-

Digitized by Google

superiores te ſpernunt præferentes tibi minus dignos, te neglecto, ex paſſione aut præjudiciis poſtpoſito, cum omnibus talentis tuis ſepulto: Quid poſtea? *fuge melancholiam*! Deus ab æterno conſtituit, ut talibus ſubſis: Deus te ſepelivit. Contemneris: & *pares*, quidquid agas, male interpretantur: per invidiam minuunt: etiam de amicitia tecum contracta erubeſcunt. Quid poſtea? *fuge melancholiam*, & ama contemptores: *contemptum* contemne! . . . Contemneris: & *inferiores* parvi te æſtimant: rident: perſequuntur: accuſant: premunt. Quid poſtea? *fuge melancholiam*! ſi Deus te æſtimat: ſi laudaturus eſt olim: quid cupias ultra? . . . . Pateris fortunarum jacturam: ad mendicitatem redactus es: oſtiatim poſtulandus eſt panis. Quid poſtea? *fuge melancholiam*! Per viam miſericordiæ alios Deus ad cœlum vocat, te per viam patientiæ ducit. Hæc eſt ſemita tuæ prædeſtinationis: quid petas amplius? . . . Moriendum eſt ante tempus, & morte infami forte, aut valde acerba. Quid poſtea? *fuge melancholiam*! Mori non eſt malum, ſed *male mori*. Morere *provide*, ita ut in tempore proſpicias animæ: & morieris *jucunde*, nam quod poſt mortem vita detur *præſente* infinities felicior, docet Fides: quod vita illa pertineat ad te, promittit Spes: quod eadem omnibus deſideriis deſideranda ſit tibi, monet Charitas. Ergo diſtingue animam ab animali, &

hoc *hilariter* Deo immola, ut illam salves. *Utrique* sic consulis: quia quo præit anima, corpus sequetur suo tempore. . . . Denique quodcunque te malum premat: ne opprimaris, *fuge melancholiam!* Non datur in hac vita *malum purum*, quod nullo mixtum sit bono. Hoc bonum tu in omni malo considera, & dices: *o bona crux*!

3. Et en! Hæc ipsa est praxis, qua fugimus melancholiam. Semper ipsi nobis *exaggeramus* mala nostra, atque per omnes circumstantias amplificamus. Erratum est. Argumenta *minuentia* invenire, & considerare debemus: propterea *homines* sumus, qui ex bono usu Rationis juvare se debent. *Virorum* est autem non minus fortiter pati, quam agere, cum eadem Ratio postulet, ut faciamus *ex necessitate* virtutem. Melancholia venenum est, non medicina: *fuge melancholiam*! corpus & animam necat. Experti sunt Israëlitæ. Tæduit populum itineris, & laboris. Quid fit? tædium tristes fecit: tristitia incitavit ad murmur contra Deum, & Moysen: Deus ignitos serpentes in murmuris vindictam immisit. In figura hinc disce, quid maneat hominem, qui *tempore tribulationis* melancholiam in consilium adhibet. Judas sic periit: & quantum abfuit, ut etiam periret Thomas? Mæstus erat ex morte Christi. Recte quidem: sed debebat *moderari* mærorem accersendo cogita

Digitized by Google

gitationes lætiores a ſpe reſurrectionis, quam toties prædixerat Dominus. Ita ſocii fecerunt, opinor: & ne in ſimilem languorem inciderent, pro mutuo ſolatio ſe ad orandum collegerunt. Solus Thomas ſolitarie vixit, deditque locum diabolo, atque occaſionem, qua uſus eſt ſtrenue, effecitque, ut ex mærore impos ſui ſe totum acediæ daret: & qui paulo ante cæteris hortator fuerat: *Eamus & moriamur cum illo!* nunc condiſcipulos tanquam nimis credulos ſperneret: Chriſti verbis diffideret: caput ad non credendum, quidquid de Reſurrectione diceretur, obſtinaret: Deo ipſi viam, & modum, quo reduci ad fidem poſſet, proterva temeritate præſcriberet. Væ Thomæ, niſi humanitas Salvatoris ceſſiſſet audaciæ, & per ſtupendam benignitatem conditiones pacis a contumace ſubdito acceptaſſet! Sed unum eſt hoc exemplum: alterum vix audieris.

Epilogus.

NOs ſapientius ad pugnam *adverſus acediam* prodimus. Gratia excitat: gratiæ cooperari per vires naturæ debemus, quia *homines*: poſſumus, quia *viri* ſumus. Pugnemus! *Pugnæ modus* non eſt difficilis, ſive *deſolationis*, ſive *laboris*, ſive *tribulationis* ſit tempus, quo furia procedit in aciem. Sentimus *languorem.* Non nocet *ſenſus*, ſed docet, horam pugnæ adeſſe. Pugnemus! &

Digitized by Google

quia *inter cogitationes* ſtat pugna: cogitationibus defendentibus, aut ſuſtentantibus noſtram inertiam, opponamus cogitationes eandem accuſantes, & proſternentes. Vincemus! Et, quæ teſſera victoriæ omen fuit in prælio Mentium, quod factum eſt in cœlo: eadem in hoc prælio cogitationum faciet, ut bona cauſa triumphet. *Quis ut DEUS?* Quis, cui *ferventius* ſervire nos decet? Dolor, amor, timor vos ſuggeretis *cogitationes*, quæ debellant ignaviam! . . . Inſtate! urgete! Oportet Deo ſervire cito, ſerio, conſtanter. . . Huc *dolor* ades! deplora vitam *præteritam* cito, ſerio, conſtanter! . . . Huc *amor*! ordina vitam *præſentem* cito, ſerio, conſtanter! . . . Huc *timor*! provide vitæ *futuræ* cito, ſerio, conſtanter! . . . Hic fructus ſit Exhortationis D. N. J. C. voce magna clamantis: *Contendite intrare per anguſtam portam!* Cito, ſerio, conſtanter contendite! . . In ultimo puncto præcipuum periculum eſt, DD. Sodales! Quare ut ad conſtantiam in bono animemur, ſurgamus, & ſit

MEDITATIO II.

De Conſtantia in bono.

EXercitium Memoriæ præſentis ubique Dei ſine controverſia optimum ad conſtantiam Medium eſt, & omnes *acediæ* tentationes potentiſſime frangit, ſi modo non ſit ſterilis,

rilis, & ficca memoria, sed succo piorum affectuum plena, de quali Rex pœnitens loquitur, effectum declarans, dum ait: *Memor fui DEI, & delectatus sum!* Psal. 10. Omne tædium, omnis inertia evanuit. Veritas tam utilis digna est, ut meditemur ferventer. Puncta sunt tria: DEUS ubique est *Spectator*, Punctum 1mum, Ubique *Adjutor*, 2dum. Ubique *Remunerator*, 3tium. Fructus: frequens hujus Exercitii usus. *Dixi: nunc cœpi. Vivit Dominus, in cujus conspectu sto: quod cœpi, prosequar, quamdiu sum. Hostis acediæ æternus ero. Domine! confirma hanc voluntatem, & quod dedisti velle, da perficere.* Sedeamus.

PUNCTUM I.

DEUS ubique est Spectator.

1. *DEUS ubique est*, quia loco non clauditur: neque tam ipse in Mundo est, quam Mundus in ipso, instar globi vitrei aqua marina intus pleni, & eadem exterius ex omni parte circumdati. Porro, qui ubique est, est DEUS vivus, qui (quia nec dormit, nec oculos ab aliquo nostrum avertit) cum totus, quantus est, *oculus* sit: necesse est, ut omnia videat, quæ facimus, & non facimus:

Digitized by Google

& quis sit faciendi modus. Ubique *Spectator* est. . .

2. Momentosa veritas. Nihil est enim, quod peccandi licentiam vehementius irritat, quam hæc cogitatio: *Nemo me videt*! & experientia docet, ferocissimas passiones libidinis, avaritiæ, vindictæ frænum patienter ferre, si præsens testis, quem revereri debent, injiciat. *Omnis enim*, *qui male agit*, *odit lucem*, latere desiderans, & oculos suos humi figens, ne cœlum aspiciant, id quod Davidi exprobravit Deus cum interminatione: *tu fecisti abscondite*: *ego autem faciam verbum istud* (& puniam te) *in conspectu omnis Israël*, *& in conspectu Solis*. . . . Quodsi verecundia *naturalis*, & reverentia *hominis* sæpe de infima sorte hanc vim habet, ut a peccato deterreat: quid non poterit verecundia *supernaturalis*, quam fides excitat, nisi forte oculos carnis perspicaciores oculis mentis esse putamus: aut hominis præsentia potior esse quam Dei videatur. . . .

3. Res est multis lacrymis digna! Nota est omnibus hæc veritas: *Deus ubique est Spectator*! Paucissimi autem recordantur, vel æstimant: plerique certe occurrentem memoriæ leviter excutiunt, ne sensus reverentiæ pruritum concupiscentiæ compescat. . . . O tenebræ! o anguli! o sylvæ! si loqui posse-

tis

Digitized by Google

tis, quid diceretis de me? . . O ſimplicem hominem! ſæpe *humanus reſpectus* in ſcelus contra Deum te rapuit: non *reſpectus ad Deum* debuiſſet a peccato contra hominem, a dolis & fraudibus, ab inſidiis & injuſtis læſionibus abſterrere? . . O impium hominem, qui *vultum Dei* non erubuit, modo *vultum hominis* non videret! . . . Ah! ſi peccare volebam, nunquid angulum ſaltem debebam requirere, ubi me oculus tuus non videret! . . Ubi vero inveniſſem? . . Inanes conatus quid moror? Impudentiæ me pœnitet tandem: & faciam per gratiam tuam, ut, qui *Spectator peccati* fuiſti, etiam *Spectator pœnitentiæ* ſis! . . . Ah! ut dignum tanto Spectatore ſpectaculum dem! . . .

4. Et dabo. Amor *vitæ mollis* fecit, ut *multa mala* fecerim! Doleo! *Doloris* ſerii teſtimonium *rigor* erit, qualem exigit *ſtatus pœnitentiæ*. . . Regulæ, ad quas vitam componam, erunt hæc duo verba: *ſuſtine*, & *abſtine*! . . . Sugillabit vitæ modum *acedia*: Melancholiam ſecum adducet: faſtidiis vexabit: proſpicio. Sed ego recordabor tui, magne DEUS! & per hoc medium mihi *in dolore* conſtabo. In oculis tuis, imo, ut ita loquar, in tuo ſinu peccavi: hic actus *æterni doloris* materia ſit. . . Stupet animus de execrabili temeritate! *Spectante Deo* peccavi! Quis hoc audit, & non indignatur? . . Averte oculos tuos a peccatis meis, Domine! *ne videant*

ſem-

Digitized by Google

semper! . . Frustra sum! *videbunt semper!* . . faciam saltem (quoniam aliud non possum facere) faciam; *ut videant nunquam*, nisi juncta *dolori*! . .

5. O bonus! o utilis dolor! Si constanter occupabis hoc cor, tu facies, ut, si fuerint in oculis DEI peccata mea *ut coccinum*, *quasi nix dealbentur* : *& si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba sint*! Is. Ah! illa levitas peccata eadem perpetuo confitentis, rursumque confessa iterantis non aliam matrem, præter acediam, habet, quæ *statum pœnitentis* mihi per hoc molestum, & difficilem reddit, quia a conspectu tuo *in regionem longinquam* me toties abstrahit, quoties in oblivionem tuæ præsentiæ trahit. . . Remedium mali esto in omni tentatione, periculo, occasione relapsus, *Memoria Dei spectantis*. . . Sic bene, & habebit effectum Memoria *spectantis*, si accedat *Memoria adjuvantis*, quod est

PUNCTUM II.

DEUS ubique est Adjutor.

1. *DEUS Spectator* facit *attentum*, ne *per impetum* ab acedia rapiamur ad *negligenter*

Digitized by Google

genter agendum, unde sequitur inconstantia *pœnitentiæ*: *DEUS adjutor* facit *generosum*, ne *per* occursum molestiæ deficiamus ab amore, qui dat laboranti alacritatem. . . *Deus ubique est Adjutor*! Sensus est: Nullus est locus, in quo videt me Deus, quin amet, & proinde luctantem juvet, præsertim si sterili præsentiæ memoria non contentus, adjungam preces, & dicam illi: *Deus in adjutorium meum intende!* . . . .

2. Veritas plena solatio! . . . Si enim Deus est pro me, quis contra me erit? . . *Caro*, infirma, pigra, petulans, & refractaria Caro? . . Deus in adjutorium intendit, ut infirmæ succurrat: pigram stimulet: petulantem compescat. . . *Mundus*, cum suis dicteriis, exemplis, injuriis? Deus in adjutorium intendit, ut audeas dicteria contemnere, exempla negligere, injurias ferre. . . *Diabolus* cum exercitu furiarum? . . Deus in adjutorium intendit, ut audeas aggredi, larvasque tumultuantibus spectris detrahere. . . Tædeat orare, laborare, pati: Deus in adjutorium intendit, & alacritatem inspirat. . . Non est otiosa præsentia Dei, modo vicissim nos simus Deo præsentes, & *cum devota fiducia* memores. . .

3. Memoria memor ero Domine mirabilium tuorum, quæ fecisti filiis Israël in deserto,

Digitized by Google

serto, quando comitabaris illos in columna nubis per diem: in columna ignis per noctem.. Per decem vices murmuraverunt crudissimi homines adversum te, quoties nempe impatiens *acedia* molestias itineris phantasiæ objecit. Audivisti *murmur* eorum, & fecisti secundum desideria cordis eorum: *Orationem* fortasse non audivisses? .. O vere misericors, & miserator filiorum hominum, quis similis tibi? .. Affligi nos pateris, ut orare compellas: & nos murmuramus! .. Murmurantibus benefacis, ut intelligamus, nos servire *amanti*. ... O amabilis Domine! Quem servire tibi vel inter summos labores & ærumnas tædeat? .. Dulcescunt amara ex memoria præsentis Domini, laborantes juvantis. ..

4. Vere ajunt: *Oculus Domini* primum bonæ œconomiæ principium est! .. Quantum lucrum fecissem, si ex hoc principio huc usque labores meos ordinassem! .. *Actiones* sine ordine: *passiones* sine fræno fuerunt: hinc tanta jactura est temporis, occasionum, meritorum. .. Si comparo cum accepto expensum: si computo lucrum cessans, & damnum emergens ex negligentia, ex incuria, & impatientia mea: nunquid laus erit a Deo mihi? *Acceptum* sunt, unum, duo, quinque talenta... Expensum debebat ad fœnus fieri, ut Dominus cum usura reciperet. Quid, & quo talento aliquid superlucratus sum? ... Ratio,

Nobis

Nobilitas, divitiæ, doctrina, auctoritas talenta ſunt naturalia, per quorum uſum juvante DEO, & ad latus præſente ſuperlucrari poteram totidem ſupernaturalia: quid feci? . . . Heu! me miſerum! nihil lucratus ſum! & lucro ceſſante, quantum *damnum* tibi primum, tuæque gloriæ, DEUS mi! deinde mihi pro tota æternitate, tandem toti communitati, cujus bono acceperam, per hanc vecordiam emerſit! . . Oculus Domini! ah! quare non attentius te obſervavi? . . .

5. Tu vero obſervaſti me diu, noctuque: & obſervaſti, ut ſuccurreres cito, cum aliqua re indigerem, & orarem: unde excuſatio erit, quas commiſi, culparum? & quæ omiſi, bonorum? . . . Nunquam procul es ab unoquoque noſtrum: & feciſti promiſſum: *Invocabit me, & ego exaudiam eum!* Pſal. 88. Cujus igitur culpa eſt, ſi defeci in via? . . . Quid dicam? . . . *Etiam ſi habuero quippiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum Judicem deprecabor!* Job. 9. . . . Sic bene, Domini! nam quantillum eſt boni, quod fecimus, comparative cum eo, quod omiſimus: & cum malo, quod commiſimus. Singula ubique præſens DEUS notavit, DEUS uti Spectator, & Adjutor, ſic Remunerator!

PUN-

Digitized by Google

PUNCTUM III.

DEUS ubique est Remunerator.

1. SPectator *attentum*, Adjutor *generosum*, Remunerator *alacrem*, & *cautum* faciat, alacrem, quia DEUS omne bonum prœmiat: cautum, quia nullum malum non punit. *DEUS ubique est Remunerator* bonorum, & malorum, *ubique* sedet pro tribunali. . . . Triplex enim Judicium datur, *generale* in fine mundi: *particulare* in morte singulorum: *singulare* post singulas actiones. Singulis enim statim, dum fiunt, suum sive præmium, sive pœna decernitur. *Bonæ*, si etiam de minimis sit, si haustus aquæ frigidæ sitienti amore DEI propinatus, sua in cœlo merces taxatur, & *malæ* supplicium. . . .

2. Primum est doctrina Evangelii, alterum experientia docet. Vix enim peccatum commissum fuit: ecce tibi! aut *vermis* rodit conscientiam: aut *infortunio* reus feritur: aut *excæcatur* infelix, & induratur: aut *morte subitanea* rapitur. . . . Habes pœnam damni, & sensus: si non utraque, saltem alterutra omne peccatum excipit, atque quod caput est, ita excipit, ut, nisi per illam

Digitized by Google

illam corrigaris, initium reprobationis efficiat. . . . Nimirum ſicut DEUS omnia in pondere, numero, & menſura diſpoſuit: & ſicut cuilibet conſtitutus eſt numerus dierum vitæ ſuæ, qui præteriri non poterit: ita datur certus numerus *gratiarum*: & certus numerus peccatorum, quo completo, *miſerationum* DEI eſt finis. . . .

3. Horrendum Myſterium, *numerus gratiarum*! . . Quid trepidas anima? gaude! Nam hæc tua *trepidatio* gratia eſt. Quid? ſi *ultima* eſſet, quam deinde nulla ſequeretur dormientem fortiter excitans, & feralem ſomnum excutiens? . . Infelix Samſon tibi ſimilis fuit. Suæ ſibi fortitudinis conſcius bis in ſinu Dalilæ ſecure dormierat: & expergefactus irruentes in ſe Philiſtæos ſtrenue repulerat. Tertia vice erat idem facturus, neſciens, quod receſſiſſet a ſe Dominus. Completo autem jam numero gratiarum, ſenſit ſe imparem pugnæ: captusque erutis oculis inimicis ad ludibrium ſerviit. Quid? ſi tu hujus figuræ figuratum fores? . . Metue tibi, tunc maxime, cum ſentis motu turbulentiore, ac prope violento feriri cor. Ejusmodi ſenſus, ſive ad bonum impellat, ſive a malo abſtrahat: plerumque *gratia critica* eſt, & ſi negligitur, magni infortunii, aut omnino extremi prodroma. Has gratias time! . .

Digitized by Google

4. Horrendum Mysterium, *numerus peccatorum.* . . Datur peccatum ultimum, post quod nulla sequitur venia, etiamsi diu supervivas. Quid igitur fiet? Nisi *in ipso actu* peccati ultimi a morte deprehendaris, uti Her & Onan filii Judæ percussi a DEO: uti Zamri & Chozbi confossi a Phinea: uti septem viri Saræ jugulati a dæmone: morieris tamen *in statu* ejusdem peccati, quia aut DEUS te privabit *usu rationis*, ut redire in gratiam per verum dolorem non possis: aut privabit te *sensu periculi*, in quo vivis, ut inescatus dulci veneno de pœnitentia cogitare non velis: aut sinet, ut indureris sicut Pharao, atque de salutis negotio nullam cogitationem admittas. Vide, quantum absis ab hoc periculo. . . . . Rides? Etiam Jerichuntini riserunt, cum viderunt Exercitum Israëliticum in longa processione circuire civitatem, quin machinas muris admoverent. Septima circuitio seras lacrymas expressit, cum ad tubarum clangorem mœnia sponte sua corruerunt. Misera civitas, quot animarum imago es de numero peccatorum suorum nihil sollicitarum! . . .

5. Heu! si aliquis nostrum jam nuper *ultimum peccatum* perpetrasset, quid illi futurum est? Quid? si quis dubitat saltem: non illi desperandum est de salute? Haudquaquam utique: non ita sana Ratio concludit.

cludit. *Post peccatum* spera: *ante peccatum* time! hæc sunt principia Christianæ prudentiæ. . . . Post peccatum, spero, Domine; nam si fuisset ultimum, cur me servasses? cur adhuc, quod sentio, & hoc triduo singulariter sensi, ad pœnitentiam stimulares? . . . . Adoro patientiam: & satisfaciam expectationi. . . . Si vero rursum redeat Sathanas, & ad novum peccatum alliciat: tunc trepida anima mea! tunc treme! & per Deum te obsecro, ne consentias, nisi scias prius, an non futurum sit ultimum. *De propitiato peccato noli esse sine metu*: propitiatum est, sed *numerum* facit. Si novum addis, *fortasse* numerum complet. *Fortasse* non complebo. Ita est: sed securior es de numero dierum vitæ tuæ, quam de numero peccatorum. Hodie sanus es: prudenter sperare potes, te cras adhuc esse victurum. At vero qua spe adhuc unum peccatum peccabis? si *ultimum* erit, actum tecum æternum erit, sive supervivas, sive non. Quod autem non sit futurum ultimum: sperandi tibi nulla prudens ratio suppetit, & par nescientia est cum illa, per quam fit, ut stellas nec dicere possimus esse pares, nec impares numero. Et tu in tanta nescientia non eligas viam tutiorem? tanti tibi anima est? tanti cœlum? tanti Deus, cujus oculos per tam insanam temeritatem novo vulnere sauciabis?

Digitized by Google

Colloquium.

H*Æc faciat mihi Deus, & hæc addat*, ut occidat me citius, quam novo scelere vultum suæ sanctitatis contaminem! Ruat fulmen de nubibus (ultro provoco) ruat, & in cineres redigat istud cor, antequam rursum cogitationem rebellionis adversus Deum admittat. . . Averte a me tantum malum, mi DEUS! . . . Ubique es præsens mihi! hæc opto, ut cogitatio mihi remedium constantiæ sit. O ut nunquam oblitus fuissem hujus veritatis! O ut tunc saltem meminissem, cum me *acedia* per tædium vitæ melioris in antiquam sylvam retraxit! . . . Deprecor imprudentiam! Et (testes sint mihi Cœlites, quod seria voluntas sit) deinceps omnem reverentiam DEO Spectatori, Adjutori, Remuneratori spondeo. Spectatorem revereor! Adjutori confido! Remuneratorem timeo! . . . Cœlum adde constantiam voto! Regina Cœlitum, & omnes Sancti orate pro me, ut per calcatam ad vestrum exemplum *acediam* hodie initium vitæ sanctæ faciam, initium, cujus nullus sit finis usque ad vitæ finem! Dolor, amor, timor simul omnes occupate hoc cor, ne ullibi *acedia* novus aditus aperiatur. Certum, decretum constitutum est hoc, in hora hac, in loco hoc: Volo servire DEO *cito* per emen-

Digitized by Google

emendationem vitæ præteritæ: volo *serio* per ordinationem vitæ præsentis: volo *constanter* cum providentia de vita futura! . . . Sic me DEUS adjuvet: &, quam amplector, hæc sancta Crux! Vivat JESUS! Moriatur acedia! . . . *Surgamus.*

Conclusio Exercitiorum.

FInis est sacri tridui in *exterminium acediæ* impensi Considerationi Exhortationis D. N. J. C. qua gravissimis verbis odium vitii tam communis, tam perniciosi inculcat clamans: *Contendite intrare per angustam portam*, & vivite ut pauci, quia pauci electi sunt. Nunc *Executionis* & *Prosecutionis* bonorum propositorum initium esto. Ite! scribite domi, quæ prima die pro emendatione vitæ præteritæ de statu pœnitentiæ, & fuga vitæ mollis notastis. Scribite, quæ animo concepistis die secunda de ordine actionum, & fræno passionum pro ordinanda vita præsente. Scribite, quæ ex hodie audititis prodesse possunt, ut provideatis vitæ futuræ per usum virium naturæ, & exercitium memoriæ ubique præsentis DEI. Scribere hæc juvat, ut per intervalla respicere vos ipsos, & vestram in servandis propositis fidelitatem æstimare possitis . . . Verum credite mihi: non diu constabitis vobis, nisi *gratias efficaces*, quas mereri nemo po-

test, *impetrare* a cœlo omnibus modis contendatis. Optimum ad hunc finem consilium do, si suadeo vobis *devotionem Marianam.* Quam vero illam? Non aliam, quam ipsi ultro suscepistis, & proxime ex formula votiva de novo promittetis his verbis: *Propono, me nunquam te derelicturum.* Hujus propositi sinite, ut *sensum* jam, deinde *fructum* paucissimis explicem.

Quis igitur sensus propositi est? Obvium verba exhibent: *Propono me nunquam te*, hoc est, *cultum illum derelicturum*, quem Sodalitas tua, cui me addixi, præscripsit. Quis est vero iste cultus? Est *quotidianus*, & consistit in Litaniis Lauretanis, quæ pro felice morte recitantur. Bona est frequens memoria mortis: & necessaria oratio pro gratia finali. . . Est *hebdomadarius*, & consistit in frequentatione Conventuum, qui eo fine habentur, ut calor devotionis per intervalla resuscitatus perpetuo conservetur, id quod certe in se fieri non experiuntur Sodales, qui ex frivolis causis vix semel in anno visibiles sunt. . . Est *menstruus* in usu Sacramentorum, quorum repetitione anima pinguescit, & præservatur a morbis. . . Est *annuus*, & fit per solennem Formulæ renovationem, cui renovatio fervoris adjungitur cum renovatione fiduciæ. Est denique *perpetuus*, & consistit in imitatione

tione

tione virtutum Mariæ, & in zelo propagandi cultum per Exempla, & verba. . . Atque hoc est illud cultus genus, quod esse omnium *optimum* alibi in Idea Cultus Mariani demonstravi: & hic in verbis propositi supra memorati contineri affirmo. Ita: hic est propositi *sensus.*

Fructus autem assistentia B. V. *in omnibus actionibus* vitæ: & demum *in hora mortis.* DEUS ut auctor gratiæ similiter *per causas secundas* salutem nostram operatur, quemadmodum ut auctor naturæ. Agit per gratias, quæ sunt lumina & instinctus ad bonum. Hæc lumina, hi instinctus ad bonum (excepta prima gratia) non dantur gratis. Ex Sacramentis fluunt, & per preces impetrantur. Inde fit, quod aliqui paucioribus, alii pluribus gratiis contra innatam ex Adamo acediam adjuventur, nempe quia alii aliis in usu Sacramentorum & precum frequentiores sunt, & devotius fervent. Porro oratio eo efficacior est apud Deum, quo humilior, & confidentior: humilior vero & confidentior esse solet, in qua adhibetur Patronus, cujus deinde patrocinium eo erit efficacius, quo Patronus est Deo acceptior, & ejus advocatia pro cliente instantior. Ex hoc discursu, quid prosit Devotio Mariana: concludes. MARIA Mater orat Filium pro filio: quid vis amplius? Nihil dubita: bene tibi erit in actionibus omnibus: bene in

hora

Digitized by Google

hora mortis. Nuſpiam deerunt gratiæ *efficaces*, quæ ſi deſint, noſtra pro cœlo *contentio* lenta, fallax, inconſtans erit: & Dolor, amor, timor *affectus* ſine effectu: *acedia* triumphabit. . . . Abſit autem, ah! abſit a nobis tam grave malum! ſtatutum eſt nobis *acediæ exterminium*: & volumus DEO ſervire *cito*, *ſerio*, *conſtanter*, quocunque labore conſtet! . . Igitur *vivat JESUS*! valuit *Exhortatio* de contentione pro cœlo! . . . *Moriatur acedia*! Exi male ſpiritus! ego exorcizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti! Exi! . . . Exivit: nihil ambigo. Te Deum laudamus! . . Sed rogo, Domini! cavete, ne iterum locum detis diabolo huic. Dico vobis: *Servus piger non ſalvatur:* & erunt poſteriora pejora prioribus.

O. A. M. D. G.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google